



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Via Vitæ Operis Hvivs Hypothesis**

**Florentius <Batavus>**

**Antverpiae, 1551**

Tractatvs Secvndvs de tribus partibus poenitentiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30077**

44

TRACTATUS SECVNDVS  
de tribus partibus pœnitentiæ.

De triplici gradu seu statu vitæ spiritualis. Cap. 1.



Am vt ad præcipuam quandam  
nostri argumenti partem venia-  
mus, nempe ad tractandum statũ  
& profectum incipientium, cui  
spiritualem viatorem iuxta inge-  
nij nostri tenuitatem hæctenus preparavi-  
mus, commonstratis illi præcipuis spiritua-  
lis huius vitæ cum impedimentis, tum etiã  
adiumentis, seu virtutibus huic negotio ac-  
commodis, ante omnia statuimus profectũ  
virtutũ tribus distinguere gradibus seu sta-  
tibus sequuti hanc in re sacram scripturam  
et insignes quosdã Theologos nominatim  
Bernardum & Bonauenturam: qui Christia  
næ vitæ statum partiuntur in gradũ seu sta-  
tum incipientium, in gradum proficiẽtium,  
& in gradum perfectorum. Hunc autem tri-  
plicem progressum varijs nobis figuris deli-  
niatum intelligimus in literis arcanis: veluti  
in itinere illo trium dierum de quo Moses  
loquebatur, quum populum Israeliticũ do-  
mino sacrificaturum inducere vellet in ter-  
ram repromissam, & obstaret Pharaõ, nolẽs  
illos alibi sacrificare Domino quã in terra  
Aegypti,

Vide Ber.  
in Can. ser.  
4. & tract.  
de vita solita.  
tar. ad fr. de  
mõ Dei.

Exo. 8. f. g.

DE TRIBVS PARTIBVS

Mat. 15. d.

Luc. 2. f.

Aegypti, ita ad Pharaonem inquit: Non potest ita fieri. Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus domino Deo nostro, sicut praecepit nobis: Et rursus in Euangelio vbi legimus turbam tribus similiter diebus in solitudinem sequutam fuisse Christum, priusquam panibus reficeretur diuino miraculo multiplicatis. Item alio in loco, vbi puer Iesus scribitur triduo à matre quæsitus, & tandem in templo in medio doctorum repertus. Per huiuscemodi ergo triū dierum spatia seu itinera triplex nobis insinuatur spiritualis vitæ gradus. Proinde quisquis cum filiis Israel gratū Domino auct offerre sacrificiū, quisquis Iesum cum Maria & Ioseph in templo cordis sui cupit reperire, quisquis à Christo septē Spiritus sancti dotibus quasi vñ. panibus plenè desiderat exaturari, tribus Christum diebus sequatur & quærat necesse est, hoc est ad in. dictos gradus necesse est contēdat. Quisq; enim in his aut aliquo horum non est aut nō ingreditur, Deo placere haudquaquam potest. Figurantur præterea tres hi gradus in tribus illis electissimis discipulis Petro Iacobo & Iohanne: quos Christus peculiariter selectos secum in montem Thabor conscendere iussit, eisdemq; futuræ suæ gloriæ imaginem

1398A

ginem prænonstravit, quam tandem gloriam omnibus ostensurus erat electis, aliquo dictorum graduum in hoc sæculo ingredientium. Primus gradus nempe incipientium, per Petrum designatus intelligi potest, propterea quod post abiuratum per imbecillitatem Dominum, plenè scelus suum detestatus sit. Atque ob id non incongruè typum gerit eorum, qui ad meliorem vitæ frugem sese recipiunt, errorum superioris vitæ plenè pertæsi. Secundus qui est proficientium, omnemque pravam concupiscentiam seu affectum tum corporis tum animæ sedula semper cura reprimentium & cōculcantium, per Iacobum designatur, qui interpretatur supplantator. Tertius qui est perfectorum, per Iohannem indicatur. Iohannes enim interpretatur domini gratia, & hic inter cæteros omnes scribitur specialiter dilectus & gratus Christo, & diuinæ sapientiæ illustratione sublimatus. Quare non iniuria per hunc perfectorum status indicatur, qui singulari quadam à Deo gratia cumulati sunt, ita ut veluti aquilæ quædam spirituales animo semper atque affectu in sublimibus agant, meditates semper cœlestia, omneque desiderium sustollentes in Deum.

Quam

DE TRIBVS PARTIBVS

Quam ob rem o vos, qui monasticam estis vitam professi, qui Aegyptum diuina iuuante gratia reliquistis, qui diuinæ vocationi obaudistis, & mundum hunc deseruistis, ad tridui iter fœliciter peragendum paratos vos reddite, & ab omnibus implicamentis expeditos, quandoquidem in hoc peculiari ter estis vocati & initiati. Varia hic suppetunt ad hanc rem monastica traditione instituta adminicula & præsidia: atque ob id maximè vobis metuendū, ne si gradus hos per ignauiam vestram non conscenderitis, durior sitis experturi sententiam quam

Matth. s. c. alij. Metuendum planè ne cum infideli illo seruo sitis iudicandi, qui concredita sibi pecunia defossa in terram, nullum retulit domino suo lucrum. Neq; tamen qui seculum incolunt, persuadere sibi debent his se gradibus conscendendis nō esse destinatos aut vocatos: quinimo simul christiani oñes huc sunt vocati, quanquam nonnulli efficacioribus iuuentur subsidijs & gratijs ad perfectiora conscendendi quam alij: indubitatum tamen est huc vocatos pariter vniuersos: & prorsus neminem se posse excusare, quo minus in vno saltem gradu esse debeat horum trium, & contendere etiam debeat ad potiores, etiamsi conatui non succedat effectus.

Quòd

Quòd in vera se pœnitentia exercere debeat,  
 quisquis fœlicem desiderat in virtu-  
 tibus aut pia contempla-  
 tione progressum. Cap. 2.

**A** M E N dico vobis nisi conuersi fue-  
 ritis, & efficiamini sicut paruuli, non  
 intrabitis in regnum cœlorum. Qui-  
 cunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus i-  
 ste, hic est maior in regno cœlorum. Hoc  
 sermone dominus Iesus omneis compellans  
 homines hortatur eos, & ad summam humi-  
 litatem & ad puram innocentiam. Has enī  
 duas paruulorum conditiones habeat oportet,  
 quisquis regnum cupit introire cœleste:  
 primum vt innocuus & purus sit ab omni  
 malitia, veluti infans qui malum ne cogita-  
 re quidem nouit: deinde vt humilis sit cor-  
 de, sibi prorsus displicens, Deo autem om-  
 ne bonum acceptum ferens. Hoc assequutū  
 esse, talemq; existere ingens est bonū: & pri-  
 ma est exercitatio primusq; gradus ad viam  
 Domini: videlicet si per veram de commis-  
 sis pœnitentiam & contritionem teipsum  
 expurges ac reuoces. Isthuc quippe cum pri-  
 mis necessarium est, vtpote quod cæteris o-  
 mnibus præmitti debet: nimirū vt se in pri-  
 mis prorsus emaculet ac purū reddat, quis-  
 quis Domino dominantium in aliquo obse-  
 quio

Mat. 18. 33

DE TRIBVS PARTIBVS

quo placere desiderat. Vnde beatus ille baptista Iohannes, ijs qui ad meliora se recipere cupiebant, acclamabat dicens. Facite fructus dignos poenitentiae. Et dominus discipulo; erudiens suos ante omnia poenitentiam praedicare ac dicere iussit. Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum caelorum. Nec aliud clamat per Ieremiam dominus, dum ait: Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas, hoc est mentes vestras expurgate ab omnibus vitijs, & ab omni prorsus concupiscentia mundana, priusquam inferere incipiat semina virtutum. Verum quoniam per pauci sincere vt oportet hanc poenitentiam, hancque mentis purificationem peragunt, hinc fit quod rari admodum feliciter in via virtutum promoueant: rari germane pii sint, rari sincere Deo deuoti, propterea videlicet quod solidum verae poenitentiae fundamentum non praeseruant. Reperias nonnullos, qui cum in sacro & arcto vite genere complures exegerint annos, aridi tamen adhuc sint, & parum religiosi, imo & querantur etiam se nec dum diuinam gratiam consecutos esse aut persensisse: at non intelligunt nec aduertunt eam huius rei esse causam, quod nunquam condignam egerint de praeteritis peccatis poenitentiam, quae fortasse & imania fuere & multiplicia,

Lu. & Mat.  
3. b.  
Mar. 9. b. &  
Matt. 4. c.

Ier. 4. a.

cia,

cia. Quare non iniuria tua cū Dauid, dicere habet, qui istiusmodi personā preferens ait. Percussus sum ut fenū, & aruit cor meū, quā oblitus sum comedere panē meū. Panē inq̄ poenitentiae & verae cōtritionis, quē quasi comedimus, quoties nostra crimina in memoriā reuocamus, eorumq; grauitatē, enormitatē, multitudinē & nocentiā diligenter trutinamus, comploramus, & emēdamus, q̄ sanē paucissimi vti id deus exigit adimplēt. Sic. n. nobis fere persuademus, abūde sat est si vtrouq; respiscamus ac detestemur nostra maleficia, si obiter cōfiteamur, si modicā penitentiae satisfactionē subeamus, quā cū vix minimo aliquo vitio diluēdo sufficiat, itatū expurgamur, scilicet non secus atq; scabiosus quispiā, qui frigida abluitur aut peccit, nulla cōtacta scabiei radice. Vnde nihil mirū si pauci reperiant vere religiosi, cū ōnino rariss. sint qui vel primū norint gradū cōscēdere, quippe impie actę vitę pertęsi sua satis norint maleficia cōplorare, qui malorū radices prauosq; animi affectus plene studeāt reuellere. Atq; ob id nihil illis pfuerit magno teneri desiderio ad degustandā suauitatē diuini amoris, aut ad dulciter cōplectendū aię suę sponsum, qui corda adhuc habent impura, & peccatorum spurcitjjs cōtaminata.

Audi



DE TRIBVS PARTIBVS

Iesa. 59. a.

101. 129

Tre. 3. e.

Eze. 18. e.

Psal. 144.

Audi quid nobis loquatur Iesaias. Ecce inquit non est abbreviata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestre diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Peccatum enim veluti nubes quædam est, de qua Ieremias. Opposuit inquit nubem tibi, ne transeat oratio. Sed dixerit hic fortasse aliquis. An non igitur Deus noster misericors est, & paratus nobis remittere offensas quæties resipiscimus? An non idem per suum pollicitus est prophetam, quòd quoties impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabitur? An non pro palàm ita canit psalmodographus? Misericors & misericors dominus & patiens & multum misericors. Suavis dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius. Extra controuersiam quidem hæc sunt: verum interim ea poenitudo eaq; contritio, qua deus flectatur ad miserandum, vera sit necesse est, nimirum ex intimis cordis visceribus, & ex feruentissimo quodam erga Deum amore proficiscens: quosane affectu non ita passim imbuti sunt, vt sibi plarique persuadent: quum nonnulli quod hac

hac hora plangunt ac deplorant, mox idem altera hora committant: alij etiam facile illacryment nec minus facile euestigio rursus rideant: vt ex hoc facile conijci possit, eum plactum seu luctum haudquaquam ex intimis proficisci cordis medullis: quemadmodum beatus testatur Bernardus de verbo loquens Christi. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Alios inquit lugentes video: sed si de corde procederent illae lachrymae, non tam facile illico soluerentur in risum. Nunc autem quum abundantius ociosa verba & scurrilia profluant quam prius lachrymae, lachrymas huiusmodi de ijs esse non arbitror quibus consolatio diuina promittitur: quandoquidem post illas non tam facile consolatio vilis admittitur. Ad verum hunc luctum & plactum & consequendum & pariter conseruandum non exiguo opus sudore. Nec enim citra negocium fieri potest vt animus mundanus, totus voluptatibus & rebus fluxis deditus, verè lugeat aut tristetur de rebus inuisibilibus diuinis aut spiritualibus. Vnde non frustra ita apud Iohannem scitibitur. Nunc ergo dicit dominus. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio & fletu & in planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.

Bernardus.

Mar. 4. 2.

Nō sūt hae infermone de omnibus sanctis super illud Videns Iesus tur, vt autor indicare videatur: sed in 4 ser. de adne

Ioh. 3. 6

**G** Aduertendum

DE TRIBVS PARTIBVS

Aduertendum præterea condonari quidem à Deo peccata per pœnitentiam & confessionem : sed tamen non semper plenè iuxta iustitiæ diuinæ exigentiam exolui & expiari. Condonatur enim nonnunquam peccatum quod ad ipsam attinet culpam: sed interim adhuc pœna quædam maleficio debita exigitur exoluenda. Ad hæc ita comparatum est, vt peccatum ex sua consuetudine hominem proniorem reddat ad idem aut etiam aliud diuersum peccatum perpetrandū: id quod in anima hominis turpe quoddam est vitium seu corruptela, quæ exinde magna debet industria, multisq; fletibus, ieiunijs & precibus expiari ac tolli. Quemadmodum enim mulier quæpiã præstanti forma, quæ deserto proprio marito, cum alieno scortata est, vnde sibi gallicam scabiem, lepram, aut aliquod aliud turpe vitium contraxit: si hæc tandem respiscens ad virū reuertatur priorem, & per instantes preces cū illo rursus in gratiam redeat, non statim tã efficitur grata viro suo propter foeditatem illam ab adultero contractam, quam fuerat prius, & insuper indigna & inepta censetur quæ ad coniugaleis mariti sui admittatur amplexus, donec à corporis sui foeditate seu morbo medicorum arte sit prorsus vindicata, simili-

simile.

ta, similiter etiam, quemadmodum vir ali- Simile,  
 quis qui amicum offendit suum, eidemque  
 graue quoddam in corpore aut facultatib.  
 intulit damnum, facile inrerdum cū illo re-  
 dit in gratiam, & offensæ impetrat veniã,  
 sed adhuc amicitia interim plenè non habe-  
 tur restaurata, donec iusta fiat dati damni  
 pensatio, ita quoque & dominus noster se-  
 penumero culpam quidem remittit, non ta-  
 men protinus etiam tollit omne debitum,  
 & quicquid illud est, quod anima sibi per  
 peccatum contraxit, sed pœnam adhuc exi-  
 git & multã qua anima perfectè expietur,  
 priusquam ipsam in plenam amicitiam reci-  
 piat. Quinimo æquissimum omnino est (eti-  
 amsi nihil tale dominus exigeret) vt pecca-  
 tor vel pudore percitus aliquantisper sese  
 subducatur ab oculis diuinæ maiestatis: atque  
 adeo indignum sese reputet, qui in numerũ  
 recipiatur præcipuorum amicorum, quoad  
 usq; per humilem pœnitentiam iuxta deli-  
 ctorum magnitudinem aliquo tēporis spa-  
 tio, domino vtcunq; satisfecerit, & se eidem  
 reconciliarit. Quum Moses dominum inter Nume., 12. d.  
 pellaret pro sorore sua Maria, quæ ob pec-  
 catum suum erat lepra percussa, & diceret.  
 Deus obsecro sana eam, tale à domino tulit  
 responsum. Si pater eius spuisset in faciem  
 G n̄ illius,

DE TRIBVS PARTIBVS

illius, nonne debuerat saltem septē diebus  
 rubore suffundi? Separetur septē diebus ex-  
 tra castra, & postea reuocabitur. Itaq; Ma-  
 ria non prius potuit absolutam cōsequi ve-  
 niā & sanitatem, quam septē fuisset diebus  
 2.Reg. 1. 8. passa pudorem extra castra & contuberniū  
 eiecta totius populi. Consimilem typū præ-  
 tulit & Absolon Dauidis filius, qui quū fra-  
 trem suum Ammon neci dedisset, & ob hoc  
 in grauem indignationem incidisset patris,  
 quū tandem interuentu amicorum paterna  
 esset ira pacata, non tamen prius in ciuitatē  
 potuit reuerti paternam Ierosolymam, pa-  
 tre id prohibente, quam tres annos exilium  
 & sui esset flagitij perpeffus pudorē, absens  
 oculis paternis. Eundem in modum nulli cō-  
 tingit ad consummatam peruenire virtutē  
 & religionem, & ad absolutam Dei amici-  
 tiam, nisi qui prius diuinæ iustitiæ quate-  
 nus potuit satisfecit, & omneis præterito-  
 rum criminum maculas absterfit, cor suum  
 quasi regium quoddam cubile, primum va-  
 rijs piorum exercitiorum herbis exornans,  
 deinde fragrantibus internarum virtutum  
 vnguentis vngens: atque adeo etiā externa-  
 morum honestate excolens, quo vel sic cœ-  
 lestem mereatur regem excipere. Sic enim  
 mystica illa sponsa excoli cupiebat quæ di-  
 cebat,

cebat. Fulcite me floribus: stipate me malis,  
quia amore langueo. Tanquam si inquit, Cāt. 2. b.

Vtut ardenti flagrē amoris incendio: haud-  
quaquam potest animi mei compleri desi-  
derium, nisi spiritualium florum & malorū  
sim redimitus ornamentis. Nouum enim  
& purum diuinæ gratiæ & dilectionis vinū,  
non nisi in vtres mitti debet nouos, quem-  
admodum ipse in Euangelio testatur Chri- Mat. 9. b.  
stus. Hortatur autem nos ad perfectā hāc  
puritatem dominus, dum per Iesaiā ita ait. Iesa. 1. e.

Lauamini, mundi estote, auferre malum co-  
gitationum vestrarum, ab oculis meis. Qui  
escite agere peruersè, discite bene facere.

Hæc in genere dicta, vtpote ad promiscuū  
christianorum vulgus pertinentia quisque  
accipere debet: scio enim nonnunquā ma-  
gis expedire, præsertim ijs qui (tametsi ma-  
ximi sint pccatores) abundantiori quo-  
dam diuinæ dilectionis & gratiæ dono præ-  
ueniuntur, si breuiori temporis spacio sui  
expurgationi vacent, ac deinde mox ani-  
mum totum iuxta diuini fauoris raptum cō-  
templationi dedant, toti vacaturi exercitio  
diuini amoris (nam prolixius contritionis  
& maximè timoris exercitium ipsis fortasse  
aut perniciosum esset aut inutile: nempe  
dū ingēs adest diuinæ gratiæ redūdantia, &

G iij                      multum

DE TRIBVS PARTIBVS

multum efficax est sui mortificatio) ne videlicet internus ille diuini spiritus tractus & tã salutare spiritualis amoris studium aliquod patiantur impedimentum. Citra autem peculiare huiuscemodi donum, ex abrupto se dedere contemplationi planè stultum est & inutile, & sic pergere fœliciter est impossibile. Quum ergo vulgarem hic hominẽ instituentium susceperimus, primũ per pœnitentiã iter eum erudiendum & ducendum duximus, certi hanc viam longè esse tutissimam, & omnibus christianis cum primis necessariam. In hac enim potissimum prisci illi patres se exercitarunt, magis studentes sua deplorare facinora, quã ardua cõtemplari.

Ad veram pœnitentiam longa & constanti  
opus esse cordis contritione. Cap. 3.

**Q**uisquis ergo è scelerosa, mundana, & male sana vita desiderat emergere: & in nouam cupit vitam immutari, in primis firmum necesse est iaciat fundamentum veræ pœnitentiæ. Omnia enim sua commissa omissa impietatem & ingratitude frequenti & diligentĩ studio debet ad memoriam reuocare, trutinare, complorare & detestari: idq; nõ vna hora aut die, sed longo temporis tractu, & validis prolixisq; conatibus, iuxta magnitudinem admissorũ.

Tetriora

Tetriora insuper flagitia in vnum veluti fascem colligare debet, eundemq; semper secum in sua gestare memoria, & versare ac reuersare ob oculos, atq; adeo omni ex parte dispicere ipsorum commissorum grauitatem, quamq; sint indigna & execranda oculis illis diuinæ maiestatis. Huc enim hortatur nos dominus per Iesaiam dicens: Sume citharam, circumi ciuitatem meretrix obliuioni tradita. Hoc est, fac tibi succurrant omnes cogitatus, sermones & opera, diligenter perlustratis omnibus cordis tui vicis ac plateis. Rationem in eas quam sit excelsus dominus, & rursus quam idem sit benignus, longanimis & exorabilis, quem contempseris, quam indigni, viles eoq; & contemnendissimi, qui talem dominum offēderimus, quam ingētia bona hoc ipso perdiderimus, quam atrocia supplicia, quamque intolerabilem damnationem commeruerimus: atq; hac ratione ad summam humilitatem, & ad vehementem animi te inducito inconstitudinem. Sic enim dominus per Iesaiam omnē peccatorem hortat dicens. Descēde, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra. Etrursus per Iere. Humiliamini inquit, sedete, qm̄ descendet de capite vestro corona glorię vestrę. Quid aut̄ aliud hisce nobis

Iesa. 23. d.

Iesa. 47. r.

Ierem. 23. 00

G iij ver-



DE TRIBVS PARTIBVS

verbis datur intelligi, quam quod peccato-  
 ri multa & longa opus sit in pœnitentia sui  
 deiectione. Quandoquidem per sessionem  
 in puluere, constantem accipimus humilita-  
 tem, & amaram peccatorum recordationē.  
 Tanquam si dicat. Ad peccatorum tuorū  
 recordationē ac detestationū te ipsum pror-  
 sus deijcito, ac in sessionem quandam demit-  
 tito, sedentaria quippe esse debet hæc pœni-  
 tudo. Quare longè abesse debet à religiosi  
 cuiusvis animo, vt sibi persuadeat, breuem  
 aliquam & perfunctoriā pœnitentiam gra-  
 uioribus abolendis flagitijs abūde posse suf-  
 ficere. Neq; enim hoc vlla tradit scriptura,  
 aut vetera patrum monumenta. Quinimo  
 David de seipso loquens, Lauabo inquit  
 per singulas noctes lectum meum. lacrymis  
 meis stratum meum rigabo. Rursus idē ali-  
 bi. Iniquitatem inquit meā ego cognosco:  
 & peccatum meū contra me est semper. Et  
 Augustinus libro de vera & falsa pœniten-  
 tia, ait. Pœnitens ex fide pœniteat, credat  
 hanc esse medicinā: omnes fructus suæ pœ-  
 nitentiæ paruos habeat, nunquam credat  
 sufficere: semper doleat: semper corā domi-  
 no, ante quem peccauit erubescat: dolorē cū  
 vita finiat: O quot reperiuntur tā in mundo  
 quā etiam in monachatu, qui nunquā verā  
 atq;

Pla. 6.

Pla. 50.

Au. li. de. ve  
 & fal. pe. c.  
 19. parte. 10.

atq; absolutam pœnitentiam agunt : id qd<sup>o</sup>  
liquido deprehendere licet ex ipsorum im-  
perfecta, oscitabunda, & parum mortifica-  
ta vita. Sæpe enim, & ad leuissimam occasi-  
onem in enormia vitia relabuntur : & post  
actam pœnitentiam tam sese deprehendūt  
imbecillos & à religione alienos, quam fue-  
rant prius . Quod dubio procul non se ita  
haberet, si suam impietatem detestarentur  
ex animo, aut si ad iustum spatium in ea de-  
testatione sese exercitarent, nempe donec  
prorsus essent in animo reconcinnati & ex-  
purgati: aut si tantisper compungerentur se-  
seq; affligerent, donec in se firmatum cerne-  
rent & constantem mundi huius omnisque  
impietatis contemptum, & syncerum erga  
virtutem omnem affectum. Verum plerisq;  
eadem est natura, quam candelis inesse cer-  
nimus, quæ tametsi flamma priuentur dum  
extinguntur, non tamen protinus etiam fer-  
uorem & calorem amittunt, sed his manen-  
tibus ad modicum flatum rursus inflammā-  
tur. Simile quid deprehendas & in febrici-  
tanribus: qui dum primum à febris cura-  
ti sunt, multum adhuc in se infirmitatis reti-  
nent, qui etiam nisi magna sese cura obser-  
uent, facile in morbum relabuntur . Et rur-  
sus in ijs qui hortos colunt : qui si superficie  
tenus

DE TRIBVS PARTIBVS  
tenus tantum lolia radant, non perinde diu  
hortos suos mundos cernent. Sed si accura-  
te & diu mundos eos cupiunt, non summas  
zizaniarum herbas modo, sed radices ipsas  
reuellant necesse est.

Quòd exercitium pœnitentiæ cõmodissimum  
sit remedium tum ad arcendos  
prauos affectus, tum ad  
assequendum perfectionem. Cap. .4.

**V**T autem nouus, inchoans, & imper-  
fectus adhuc homo, melius se huic ex-  
ercitio pœnitentiæ tradere possit, &  
suorum admissorum expiationi, non igno-  
rare debet (quemadmodum in superioribus  
non nihil attigimus) pœnitentiã hanc tri-  
plicem adferre fructum. Primo per hanc cõ-  
sequimur præteritorum peccatorum con-  
donationem: secundo inditæ à natura, seu  
per sceleratam vitam contractæ labis seu in-  
firmitatis abolitionem: quæ labes alioqui  
in homine malum seu vitium quoddam est  
natiuum & hæreditarium: tertio subsidium  
& opem tum ad sceleriter promouendũ in  
virtutibus, tum ad obtinendam diuini spiri-  
tus gratiam. Hac de re dominus noster lo-  
quebatur, quum dicebat. Beati qui lugent,  
quoniam ipsi consolabuntur. Itaq; de mul-  
tis legimus sanctis, qui aliquando sceleratif-  
simi

Mat. 5. 4.

fimi fuere peccatores, quemadmodū post  
suam conuersionem, postq; obtentam crimi-  
num remissionem, toto vitæ suæ tēpore sta-  
tis quibusdam horis memoriam sibi refrica-  
rint veterum suorum delictorum, eademq;  
non secus deplorarint, ac si nunquam fuissēt  
condonata. Liquet hoc de Dauid, Petro,  
Maria Magdalena, Maria Aegyptiaca, q̄s  
tota legimus vita certis temporibus plan-  
xisse sua peccata. Qui etiam tali tristitia o-  
mne condiebant gaudium, quod illis siue in-  
tus siue foris poterat obuenire, nō secus quā  
sale condiri consueuerunt cibaria plus iusto  
dulcia, quō vel sic reddantur sapidiora & na-  
turæ accommodatiora. Ad hæc quēadmo-  
dum salis natura bonam & recētem escam à  
putore vindicat & corruptiōe, ita anima ho-  
minis quæ sedulo in deplorandis commissis  
se se exercitat, à multis vindicatur tentatio-  
nibus, prauis affectibus, & mundi & carnis,  
& diaboli illecebris. Videmus. n. tristitia &  
mcestitudine affectū hoiēm obcasum aliquē  
aut cruciatū, aut morbū, aut metum munda-  
nū nō facile posse exhilarari cibo aut potu,  
aut alijs quibusuis mūdi huius oblectamen-  
tis: quinimo contra videmus, quibus prius  
capiebat, eadē ei iā neutiquā libere: qd' ipm  
multo magis vsuuenit in merore spūali pœ-  
nitentiæ. Quis-

DE TRIBVS PARTIBVS

Quisquis ergo huic tam salubri exercitio as-  
 sueuerit, haud facile huius mundi capiatur  
 honoribus, non carnis seducetur illecebris,  
 non Satanæ peruincetur sollicitationibus.  
 Sed neq; sæculi huius applausus magnope-  
 re eiusmodi mouere valent, quandoqui-  
 dem nec aurem illis accommodat, nec aliud  
 æstimat quam inanem quendam aeris flatū.  
 Præterea quisquis impietatem suam frequē-  
 ti trutina expendit, deflet, & veniam prome-  
 reri fatagit, haud facile semetipsum alijs præ-  
 ferret, utpote qui continuo suam imperfe-  
 ctionem ob oculos versat, quæ sanè res ip-  
 sum vehementer deijcit. Sed nec facile cru-  
 delis erit, aut iracundia cōcitabitur erga p-  
 ximum, maxime quum sit non immemor se  
 multo plura commisisse in Deum, quā vel  
 possit aliquis mortalium in ipsum. Proinde  
 quisquis per veram poenitentiam conatur  
 promereri indulgentiam, facile hinc discet  
 quemadmodum ipse placidus, exorabilis,  
 longanimis & benignus esse debeat erga p-  
 ximum. Atq; ita de omnibus alijs posset do-  
 cere vitijs, quod facile arceantur per saluta-  
 ris poenitentiae exercitium, & insuper quod  
 hinc virtus omnis suū sumat exordiū. Ex q-  
 bus etiam manifestum fit, hoc exercitiū nō  
 modo conferre ad impetrandam veniā, &  
 condo-

condonationem peccatorum, verumetiam ad reuincendos omnes prauos naturæ affectus & motus, & ad animam hominis poenitus defecandam. Videmus cotidie, quum quis hortum suum à nocētibus herbis & radicibus cupit esse repurgatum, quod igne telluri superstructo incendio eas exurat, aut falso liquore terram illam subinde perfundat, atq; ita infœlix omne lolium exarescere & interire facit. Ita quoque & hic sese res habet. Non alias efficacius tuam ipsius prauitatem, nocentesq; animi motus profligaueris & peremeris, quam per ardentem cōpunctionem, per aquas lachrymarū, & per ceterorum operum ad poenitentiam pertinentium acrimoniam.

Quod poenitens super omnia curare debeat, vt verè couteratur, & ex intimo cordis affectu de peccatis suis doleat. Ca. 1.

**E**X his iam fere intelligi datur poenitentiam accipi bifariam: vno modo pro virtute, nempe pro pio quodam exercitio, per quod homo sua contemplans cōmissa pericula & defectus, seipsum excitat ad spiritualem tristitiam, humilitatem, tolerantiam, & ad reliquas virtutes: altero modo pro vno sacramentorum ecclesiasticorū à Christo instituto, omnibus necessario, quī post baptismū in aliquod prolapsi sunt lætiale

## DE TRIBVS PARTIBVS

tale peccatum. Sub hac acceptione, constat poenitentia tribus partibus, nempe contritione, confessione, satisfactione. Quæ tria necessaria sunt omnibus peccato aliquo mortali obnoxijis, si modo peruenire tandē cupiunt ad regnū cœleste. Quoniā autē perpauca sunt adultæ ætatis, qui nunquā peccarunt letaliter, sed õnes fere peccatores aut sunt, aut certe aliquando fuerunt, operis precium me facturum existimaui, si hic de poenitentia ea quæ sacramentū est, fusius aliquid edisseram, idq; iuxta tres ipsius partes: quarū prima atq; adeo præcipua est vera contritio, seu syncerus de commissis dolor. Nā quēadmodū fides præstantissimū est in baptisimate, ita contritio præcipuā rei partē continet in poenitentia. Quisquis ergo verā velit agere poenitentiam, ante omnia curare debet, vt synceram habeat de commissis contritionem. Quæ quoniam hodie perpauca curæ est, timendū est perpaucos item esse, qui verè consequantur suorum criminum remissionem. Maxima .n. peccantium pars longè amplius sollicita est, vt recte sua crimina confiteatur ore apud sacerdotem, quā vt ea per veram cordis compunctionē defleat apud Deum. Rari quippe sunt qui sufficientē adhibent diligentiam ad veram habendā cordis

dis contritionem: cum tamen hoc ipsum sit  
maximè necessarium, efficax & factu diffici-  
limun: etiamsi nonnullis videatur confessi-  
onè rem esse difficiliorem, propterea qd' cõ-  
plures grauissimam pœnam subire vellēt, si  
citra cõfessionè veniã consequi possent. Ve-  
rũ re ip̃a longè maioris negotij est, vero affi-  
ci cordis dolore. Longè. n. difficilius est mē-  
tem hoīs immutare, ita vt prius placētia iã  
fiant displicentia, & displicentia fiant placē-  
tia, quam propria cõmissa apud sacerdotē  
per oris cõfessionè enumerare. Atq; hac de  
causa olim in nascētis Ecclesiæ primordijs, cū  
diuina sacramēta longe syncerius & religio-  
sius susciperentur & tractarētur, summa per  
episcopos & sacerdotes adhiberi diligētia  
consuevit ad excitandã in animis peccatorũ  
veram de commissis cõtritionè: neq; q̃squã  
magnis flagitijs obnoxius etiam bene cõfes-  
sus absoluebatur, nisi dũ euidētia aut certe  
probabilia cernebantur contriti animi indi-  
cia. Pœnitentia iniungebatur admodum se-  
uera, & nonnunquam etiam publica: quæ  
etiam longo temporis tractu exerceri habe-  
bat priusquam pœnitens absolueretur, aut  
ad sacrã admitteret cõmunionè: idq; iuxta  
doctrinã apost. Pau, ita suo discipulo scribē-  
tis, Manus cito nemini iposueris, neq; cõmu-  
nicaueris

1. Tim. 5.

nicaueris



DE TRIBVS PARTIBVS

nicaueris peccatis alienis. Graue quidem erat tum poenitentiam subire, & tamen haud paulo plures tum verè poenitebant, quam hac tempestate nostra, quando & religio a deo deferbuit, & humilitas adeo decreuit, vt non nisi leuissimè peccator tractari possit, alioqui nec acturus poenitentiam, nec omnino confessurus. Vnde beatus Ambrosius seuerum proferens verbum. Facilius inquit inueni, qui seruauerint innocentiam (viuendo videlicet sine crimine mortali) quam qui congruè egerint poenitentiam. Quod intelligi debet de absolutissima illa & perfectissima poenitentia, qua & culpa pariter & poena aboletur: & qua homo non modo condonationem acquirit admissorum, verum etiam perfectam consequitur ab omni labe ac deformitate per peccatum contracta expiationem, ita vt iam tam sit purus quam erat post susceptum baptisma, nullam iam prorsus habens maculam aut rugam.

*Am. li. 2. de poeni. c. 10. & de poe. di 3. Reperiuntur.*

Quemadmodum poenitens temporis opportunitatem ad hoc querens conari debeat, vt sua crimina, suam prauitatem, suamq; turpitudinem per similitudines quasdam intelligere possit. Ca. 9.

**V**T iam de prima ac præcipua poenitentiae parte, nempe de vera cordis contritione agamus, & rationem tradamus, qua

qua eam quis consequi possit, primo sciendum, quisquis synceram assequi cupit peccatorum suorum aut impiè transactæ vitæ cōtritionem, ante omnia congruum ad hoc tēpus venari debet, & summo studio maleficia sua expendere & perscrutari, quo sic intelligere possit, quæ in ipsis sita est, prauitatem, impietatem, iniustitiam ac stultitiam: ad hæc etiam quæ ex ipsis aut sibi aut alijs obuenerunt, pudorem & dispendium, vt sic tandem cum diuino adiutorio ad verā perueniat suorum criminum notitiam, odiū, ac detestationem: à quibus pleriq; quam lōgissimè absunt. Nimirum quoniã stupidi sunt atq; indocti, hæc ipsa assequi haudquaquã valent. Norunt quidē & certo credunt scortationem esse graue peccatum, & peccatum letale: at quam ob causam eiusmodi vitium tam sit graue, & qua in re foeditas ipsa atq; impietas sita sit intelligere haud possunt.

Quam ob rem in veteri legimus testamento, quemadmodum Dominus per prophetas suos volens stupido illi populo Israelitico suorum criminum insinuare & ob oculos ponere enormitatem, per parabolas loquebatur, & similitudines ei ingerebat earū rerum, quæ hic geruntur in mundo, & quas quisq; facile intelligit palam esse impias &

H execrans

DE TRIBVS PARTIBVS

Eze. 16. a. execrandas: sicuti hoc ipsum speciatim facit per prophetā Ezechielem cap. ipsius xxiiij. & rursus capite xvi. vbi ita per prophetam compellat dicens. Fili hominis, notas fac Ierusalem abominationes suas: hoc est intelligere eam doce suorum maleficiorum obscenitatem atque impietatem. Atq; hic protinus congrua adducta similitudine, seipsum comparat viro, populum autem Ierosolymitanum mulieri, sicque allegoricos omnia sua enumerat, quæ populo illi exhibuerat ab exordio quo sibi eum præ cæteris gentibus peculiariter elegerat beneficia, in memoriã illi reducens, quomodo ipsum abiectum suscepisset, educasset, sibiq; tandem amicitie vinculo copulasset. Si enim vir quispiã præ diues, in campo forte offenderet infantulam à matre abiectam, recens iam editam, necdum lotam, necdum fasciis alligatam, sed nudã, & maternis adhuc sordibus horridam, eandemq; sibi assumeret, emundaret, & educaret, ac tandem adultam sponsam acciperet, deinde etiam varijs ac pretiosis ornamentis excoleret: ac deinum ex eadem etiam liberos susciperet, illa vero tandem horum omnium immemor, & de tantis viri sui beneficijs ingrata, & infidelis effecta viro suo publicam sese meretricem prostitueret, donis quoque

quoque à marito acceptis ad explendas concupiscentias abuteretur, & insuper prioris mariti liberos in ipsius ignominiam trucidaret, aut flammis exurendos traderet: esset sanè hæc peruersitas intolerabilis, & super omnia quæ in hoc mundo designari possunt sceditas horrida, atque execranda, & tamen longè adhuc est scelus abominabilius, grauius ac detestabilius, dum mortalis quispiam, qui à Deo ex nihilo creatus est, & insuper singulari quodam fauore ab eodè ad christianismum accitus est, multis præterea præclaris dotibus ac gratijs tam corporis quam animæ cumulatus: & præter hæc omnia ad æternam gloriam vocatus, vilipensis his omnibus diuinæ renunciat amicitia, & per amorem creaturarum, omnibus beneficijs ac donis in subsidium amplectendæ virtutis acquirendæque salutis concessis abutitur ad explenda peccata.

Simili consilio usus est etiam Dominus <sup>2. Re. 12. 20.</sup> Regi Dauidi sui facinoris atrocitatem insinuare volens, dum videlicet per Natham prophetam sententiam ferri ab ipso Rege exegit in hominem quendam quem obnoxium finxit iniquissimo flagitio.

H ij Ad

DE TRIBVS PARTIBVS.

Ad hunc modum & multis alijs diuinæ scri-  
pturæ locis sua peccatoribus ingeruntur fla-  
gitia, nempe per eas similitudines, quib. effi-  
caciùs intelligi possit ipforum criminũ gra-  
uitas, enormitas & dispendium: idq; propte-  
rea quòd alioqui in intelligendis æstimandis-  
quæ proprijs vitijs quisq; fere sit luscio-  
sus, aut quòd per superbiam ea intelligere  
nolit. Id enim veluti hereditario nobis iure  
ab Adam & Heua primis humani generis  
parentibus relictum est, vt malum nostrum  
nec intelligere velimus nec agnoscere: quæ-  
admodum Adam a data sibi cõsorte se cau-  
sabatur deceptum. Mulier inquiens quã de-  
disti mihi sociam dedit mihi de ligno: & co-  
medi: tanquam si deceret: Domine non tã  
mea culpa est quam tua, vt qui talem mihi  
dederis vxorem, quæ huc me adegit. Multi-  
er item, Serpens inquebat decepit me, &  
comedi. Ita fere faciunt quotquot sunt pec-  
catores. Excusationes quæritant in fragilita-  
te suæ in qua nati sunt naturæ, ita dicentes:  
Peccare humanum est: quotquot sumus, ho-  
mines sumus, & ad multa vitia proni. Tales  
nos finxit Deus: quomodo ergo id corrige-  
re queam? Tam imbecillum me sentio, vt  
imperare mihi omnino non possim. Hęc est  
primi parentis excusatio. Alij vero cum He-  
ua sese

Gen., c.

Ibidem:

ua sese excusantes per serpentē sese causantur decipi: hoc est vi tentationis diabolicæ sese vinci dicunt. Itaque istis & alijs multis similibus rationibus ad excusanda & tegenda sua maleficia quisque semper pronior est quam ad intelligenda & agnoscenda.

De eo quod primo omnium expendi debet in omni peccato: nempe de diuinæ maiestatis dignitate & celsitudine. Cap. 7.

**Q**Vando non perinde proclive est omnibus veram consequi peccatorū notitiam & contritionem, illis quidē ob defectum capacitatis, nempe qd' bruti sint, & ad intelligenda spiritualia parum idonei: istis vero ob magnam ignauiam, nēpe quod sese sedulo non accommodant ad serio expendenda sua commissa, ad æquilancibus trutinandam & suam vilitatē paruitatemque, & ex aduerso Dei sublimitatē, incomprehensam perfectionem & bonitatem, necessarium mihi videtur, vt hic breuem aliquem modum tradamus, per quem quisque huc possit accedere. In primis ergo vt cæcos ad lumen, & obstinatos induratosque reuocemus ad cordis molliciem, sciendum duo esse in omni peccato, quæ maximè sunt ponderanda, & iuxta hæc duo du-

H iij pliciter

DE TRIBVS PARTIBVS

pliciter Deum in omni peccato offendi.  
Prius est, auersio à Deo, qui est perpetuum  
& summum bonum, a quo bonum omne  
nobis promanat. Posterius est conuersio ad  
bonum fluxum & terrenum, ob quod Deū  
ipsum deserimus. De utroq; loquens Domi-

*Jerem. 2. e.* nus ita per Ieremiam lamentatur. Duo ma-  
la fecit populus meus. Me dereliquerūt fon-  
tem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas  
dissipatas, quæ continere non valent aquas.  
Hoc est, me deseruerunt qui ipsos perpetuo  
possum exaturare, & pro me vanas commu-  
tant mundi huius consolatiunculas, quæ diu  
hominem comitari nequeunt, quippe quæ  
momentaneæ sunt atq; incertæ. Auersio a  
Deo & summo bono, magnam in se conti-  
net superbiam. Itaque quisquis peccat, se ip-  
sum erigit aduersus Deum, suamq; volun-  
tatem præfert voluntati diuinæ: atque ita  
opere ipso tantum malum committit, ac si  
ita procaciter Deum compellaret. Cupis vt  
hæc atq; illa ita impleam? Haudquaquam  
equidem ea sum facturus: sed id exequar,  
quod meo fuerit visum arbitrio: neq; enim  
te magnifacio, nec te indigeo. Hunc ecce o-  
nipotentis Dei contemptum summopere  
necesse est ponderemus, & vna cū prophe-

*Jerem. 2. c.* ta exclamemus. Populus meus mutauit glo-  
riam su-

riam suam in idolum. Obstupescite coeli super hoc, tanquam si dicat. Audi & inhorresce o terra, inhorresce o coelum tantam terrenis vermiculis superbiam, qui nihil verentur tantam contemnere maiestatem, id quod nonnunquam sine villo faciunt timore, pudore, & metu. Immo nonnunquam etiam laetantur & gloriantur in hac sua peruersitate. Quam ob rem o peccator quisquis es in tuis sceleribus obcaecatus aperi oculos tuos, expergiscere paulisper a tuo isto diabolico somno: tecum reputa & contemplare quemnam quum peccares auersatus sis. Ipse est benignus ille munificus ac praepotens dominus, per quem & a quo tibi quicquid habes boni profluxit, sine cuius ope mox eras redigendus in nihilum sicuti ex nihilo ab ipso conditus es. Ipse est summum illud bonum, quo sine nulli vnquam potest esse bene, & qui cum nulli potest esse male. Ipse est aeterna & vnica animarum salus. O si quis ipsius sublimitatem dignere cogitaret, mox haud dubie ante illum inhorresceret, utpote cuius sanctitas & maiestas omnem exuperet creaturam. Vnde per prophetam. ita de se ipse pronunciat. In memetipso iuravi: egredietur de ore meo iustitiae verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit (siue confitebitur) omnis lingua.

Iesa. 45. d.  
& Ro. 14. b.

H iij Porro



DE TRIBVS PARTIBVS

Porro de ipsius sanctitate ita scriptum est.

Quoniam sanctus dominus deus noster. Et  
 rursus: Rectus dominus deus noster, & non  
 est iniquitas in eo. Item dilexisti iustitiam, &  
 odisti iniquitatem. Quoniam autem ipse  
 bonitas & sanctitas nullum omnino habent  
 finem, neq; mensuram, ideo iuste sine fine ab  
 ijci, contemni & æterna gehenna damnari  
 meretur, quisquis talem contemnit. Hinc e-  
 nim peccatum suam habet grauitatem, qd'  
 tantus sit Dominus qui in peccato ipso con-  
 temnitur. Hæc intelligere, secum reputare,  
 & expendere debet, quisquis ad veram ad-  
 missorum suorum notitiam atq; contritio-  
 nem cupit peruenire. Insuper & rationem  
 inire debet, quam horrendum & detestan-  
 dum vitium sit superbia, qua miser & cala-  
 mitosus homuncio quauis arundine fragili-  
 or, vilis vt lutum vnde cõditus est, huic mû-  
 do nascens veluti flosculus vnius noctis, de  
 repente euanescens & fugiens velut vmbra  
 nunquam in eodem statu permanens, sed vs-  
 que tendens ad interitum, contemnere au-  
 det potentissimum illum dominum, cui cœ-  
 lum sedes est, terra autem scabellum pedum  
 eius. qui pugillo continet molem vniuersæ  
 terræ: ante cuius oculos, omnes gentes qua-  
 si non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihil  
 &

Psa. 98. 91. 44

Iob. 14. 2.

Iesa 66. 2.

Act. 7. f.

Ial. 40. d.

& inane reputatæ sunt ei : quem vniuersus  
adorat exercitus angelorum, ante quem cõ-  
tremiscunt vel supremi illi spiritus cherubin  
& seraphin.

De eo, de quo secundo loco peccator peculiari-  
ter erubescere debet & dolere. Cap. 8.

**S**ecundo loco in omni peccato conside-  
rari debet conuersio ad creaturam, seu  
bonum aliquod temporale siue transito-  
rium. Nemo enim à Deo sese auertit, nisi ex  
desiderio & amore rei cuiuspiam quam ex-  
tra & infra Deum quærit. At hoc ipsum ma-  
gna est insipientia, dispendium, dedecus &  
probrum, rationabili creaturæ. Magna est in  
quam insipientia, magnum damnum atq; di-  
sperdium præligere res creatas creatori, cõ-  
mutare perpetua bona momentaneis, maxi-  
ma minimis, infima summis. Vnde non ine-  
ptè peccator quisq; Iudæ iniquo Christi pro-  
ditori comparatur, qui exigui lucri gratia,  
regem vendidit ac prodidit perēnis gloriæ,  
totamquæ suam partem abdicauit, quam ha-  
bebat in fœlicitate illa cœlesti, vbi vna cum  
apostolis sessurus erat in gloria pcrenni. Ad  
hunc modum & letaliter peccans pro bono  
aliquo transitorio hæreditatē distrahit per-  
petuam & omnium preciosissimam, quã sa-  
cri baptismatis acceperat beneficio, possidē-  
dam in

DE TRIBVS PARTIBVS  
dam in ineffabili illo gaudio gloriæ cœle-  
stis. Qui mercatus tā est stultus & indignus,  
vt omnino mirum sit & plusquam mirum,  
creaturam aliquam ratione vtentem huc ad-  
duci posse. Nam talis citra controuersiam,  
vel ipsis pecudibus stolidior est. Pleraq; enī  
bruta animantia reperias, quæ non nisi egrē  
a suis magistris & alioribus diuellas: quæ &  
acceptorum beneficiorum & benefactorum  
esse memores norunt. Quare nō iniuria ita  
per Iesaiam dominus inclamat. Audite cœ-  
li, auribus percipe terra, quoniam dominus  
locutus est. Filios enutriui & exaltaui, ipi au-  
tem spreuerunt me. Cognouit bos possesso-  
rem suum, & asinus præsepe Domini sui,  
Israel autem me non cognouit: & populus  
me non intellexit. Væ genti peccatrici. Hęc  
duo necesse est peccator sollicitè expendat:  
nimirum & quid contemnat, & quid præ il-  
lo eligat in maximū suum malū & dedecus.  
Quandoquidem Deus ipse bonum est om-  
nium incundissimum, perpetuum, præstan-  
tissimum: in quo comprehenditur omnis ve-  
nustas, omne gaudium, omne desiderabile,  
omnis nobilitas, omnis potentia, omnis sa-  
pientia, quæ in aliqua deprehendi possunt  
creatura: imo incomparabiliter excellenti-  
us, quam in ipsis creaturis possint esse. Quā  
ob

Est. 1. 2.

in 1. 2.

ob rē quisquis Deum contēnit ob bonū ali-  
quod temporale, & Deo magnam infert in-  
iuriā, & se se magno afficit dāno atq; dedeco-  
re. Veluti si p̄potentis alicuius regis sponsa  
seu vxor mariti sui gloriā relinquens ad ne-  
bulonem procurreret, qui nec generosus es-  
set, nec opulentus, nec forma præstans: nihil  
quæ vereretur, ne in præsentia quidē regis  
suas cū perditio illo explere cōcupiscentias:  
rationē in eas quā illa rē p̄sus indignam pa-  
traret, tumq; etiā tecū reputa tñū cōmissum  
haud paulo esse indignius & iniuriosius, nā  
oē peccatū ante oculos cōmittit diuinę ma-  
iestatis: vbiq; præsentis. Quæ tametsi nec lo-  
quatur, nec illico peccatum vlciscatur, non  
tamē eo minus id contuetur, hoc ipsum eti-  
am iniquitatem omnem summopere aggra-  
uat, quemadmodum id rectē expēdebat, &  
ponderabat propheta David, dū resipiscēs  
ita in psalmo illo Miserere aiebat. Tibi soli  
peccaui, & malum corā te feci: hoc est, tam  
obscenā illā meā iniquitatem o dñe nihil ve-  
ritus sum perpetrare oculis illis cōtuētibus,  
qui nihil nō vident. Tā scelestū. n. pctōrem  
vix vsquam reperias, qui quiduis auderet  
ante mortalem hoiēm: sed nec scortum vl-  
lum inuenias adeo impudens, quod nihil ve-  
reret suam impudiciā exercere publicitus:  
at

Psal. 509

DE TRIBVS PARTIBVS  
at vero ante oculos Dei, qui lucidiores sunt  
oculis omnium creaturarum, nullam habet  
peccator pudoris rationem.

Quemadmodum quæuis exercitia trahi possint  
ad promouendam cordis compunctio-  
nem, maximè diuinorum do-  
norum recordatio.

Cap. 9.

**V**T autē efficacius quisq; excitetur ad  
veram criminum suorum contritio-  
nem, quodlibet ad hoc poterit accō-  
modare exercitium. Quandoquidē siue Do-  
minicam quis meditetur passionem, siue su-  
am contempletur vitam, siue diuina reme-  
moret beneficia, siue cœlestem contempletur  
patriam, siue cogitet gehennam, siue a-  
liud quid quod occurrere potest, ponat ob  
oculos, semper & vbiq; q̄rere & iuenire po-  
test argumēta atq; occasiōes deplorādi sua  
maleficia, augendiq; de ipsis contritionem.  
Nā si quid cogitet, audiat aut legat de per-  
petua illa gehenna, ita poterit secum reputa-  
re. Heu mi domine Deus, illam ego ipsam  
iamdudum merui: idque iustius quam ple-  
riq̄e eorum qui iam ea dānati sunt. Quin  
etiam prorsum adhuc incertus sum, an illam  
queam tandem subterfugere, an condigna  
potero affici contritione atq; pœnitidine,  
an

an potero adipisci indulgentiam. Item si cogites perpetuam felicitatem, ita gemendo poteris dicere aut cogitare. Heu quam sum ego iam procul ab illa elógatus, quam ego felicitatem illam, & beatissimum sanctorum contubernium parui estimavi, qui memet in omne flagitiorum genus tam contemptim dedi præcipitem. Heu me; quidnam sum acturus, si me usquam mors inexpectata corripiat, priusquam veram habuero contritionem, dignamque peregero pro peccatis meis poenitentiam? Quam foret intolerabile, atque terribile, ad severum illud tribunal accedere, ibique duram increpationem audire, ac ultimam illam excipere sententiam, quæ animam simul & corpus penetratura est. *Discidite à me maledicti in ignem æternum.*

Matt. 25. 8

Consimiliter si pulchritudinem aspicias creaturarum, aut si ipsarum utaris commoditate, sic poteris tecum reputare aut dicere. O conditor omnium creaturarum Deus, quam sum ego indignus, qui in meum commodum his utar creaturis: quam sum indignus ipso pane quo vescor, aere quo spiro, denique terra ipsa quam calco: qui tam incontanter contempti omnium creaturarum dominum & conditorem Deum. Quam fui ipse iniquus dum mihi obsequium exhiberi passus sum a  
re

DE TRIBVS PARTIBVS

re aliqua creata, qui tibi obsequi noluerim rerum omnium creatori. Agnosco sanè omneis simul creaturas æquissimo iure in me posse insurgere, vt in me vlciscantur suo conditori illatam iniuriam. Omnino iustissimè aqua me poterat demergere, terra deglubere, aer suffocare, ignis exurere, quemadmodum scriptum est, in nouissimo illo iudicij die armandam in vltionem inimicorum Dei oëm creaturam, depugnaturumq; vniuersum terrarum orbem contra insensatos. Itaq; istis atq; alijs modis in quis etiam negotio poterit sese peccator ad cõpunctionem & ad cordis excitare molliciẽ, potissimũ tñ si diuina recogitet, tã corporalia quã spũalia sibi collata siue per naturã siue per grãm bñficia, q̃lia sunt corporis salubritas, robur, ingenij præstantia, subsidium & prudens cõsiliũ amicorũ ad exigendum commodum aliquod genus probæ vitæ.

Sap. 4. d.  
Ibidem.

Quõ peccator per recordationẽ dominicæ passionis peruenire possit ad cordis contritionem. Ca. 10.

**S**Vper omnia autẽ studebit peccator frequentius rememorare summam illã gratiam redemptionis humani generis, inefabilem illum Dei erga nos miseros ac deploratos Adæ filios amorẽ, quo sic semetipsum

sum demisit, vt conditionis nræ molestissimas miseras nō dubitauerit suscipere, multis ac grauibus laboribus, improprijs, egestati, crudelissimo deniq; mortis supplicio, sese voluerit exponere. Recogitabit insup, quod per gratuitam quandam diuini fauoris gratiam in hoc peculiariter electus, atq; vocatus sit, vt per fidem christianam huius fieret redemptionis particeps, alijs multis tam retroacto tempore quam sua ipsius ætate, in sua perfidia, & in suis impijs sectis, derelictis. Expendet præterea, quam indignè se erga redemptorem suum gesserit: quam ingratus eidem fuerit, dum non totum suum cor in illum trāsfudit, qui per immensum amorem semetipsum totum nobis impendit, atque exhausit: sed contra re vera hunc ipsum suis sceleribus ludibrio habuit: rursus quod in se fuit crucifixit: & preciosum Christi sanguinem fudit, contempsit, & conculcauit, sicuti de peccatoribus scribens beatus Paulus ait. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui ha-

Heb. 6. 6.

Oculos



DE TRIBVS PARTIBVS

Oculos suos subinde in Dominicam crucē attollet, secum reputans quāta Christus pertulerit abolendorum criminum gratia, quo diuinæ iustitiæ faceret satis: quandoquidē non conueniebat vt peccatū remaneret inultum, quanquam id Deo haud fuit impossibile. Hinc etiā cogitabit quid peccator sui ipsius gratia facere debeat, cum tanta pro nobis citra suam culpam & meritum sustinuerit Deus, illorum memor verborū, quæ Christus Ierosolymitanis protulit mulieribus ligno onustus crucis. Filiae Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, & c. quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Hæc meditandi ratio de Dei erga nos amore, benignitate, maiestate, & potentia, omniū est optima, commodissima & breuissima perueniendi ad notitiam & contritionem nostrorum facinorum, propterea quòd criminum grauitas ex ipsa potissimum proficiscatur Dei maiestate ac bonitate, quæ in ipsis contemnitur.

Luc. 23. d.

Quantum damni atq; dispendij ex peccato homini obueniat. Cap. II.

**A**T vero quādo mortales diuerso sunt ingenio atq; conditione, quòd hunc cernamus non nisi terroribus excitari, illum

illum contra magis blanditijs reduci: rursus hunc esse tardiori ingenio ad capienda diuina seu spiritualia, illum contra foeliciori, necesse est, ea sibi quisq; media quærat, quæ maximè sibi cognouerit ad peccatorum suorum cognitionem, detestationem, & contritionem accommoda. Vt si quem forte stupidiori ingenio parum mouere potest recordatio diuinæ dignitatis siue dilectionis, quam ipse in suis sceleribus contempsit, aliud aliquod medium experiatur necesse est. Maximè autem huiusmodi rationem inire poterit, quantum sibi conciliarit damni, dedecoris, periculorum & suppliciorum, quæ ipsi ex peccatis aut obuenerunt aut obuenire possunt, cogitando in primis quod peccatum hominem reddat prorsus vilem, & multa eidem adferat mala, quorum primum atq; præcipuum est, quod peccatorem reddat Deo exosum, & iam maledictum à consortio secludat omnium sanctorum. Quod autem Deus peccatum habeat maximè exosum passim testatur sacræ literæ. Vnde David. Odisti inquit Psal. 5. omnes qui operantur iniquitatem. Et: Maledicti quideclinant à mandatis tuis. Psal. 118. Quam autem Deo peccatum displiceat hinc manifestum fit, quod nunquam habuerit tam dilectum amicum, nullam tam nobilem creaturam

DE TRIBVS PARTIBVS.

e. Pet. 2. a

Heb. 10. f.  
Ier. 33. c.

turam, quam non abiecerit post commissum peccatum. Quemadmodum aperte demonstratum est in primis in Lucifero, angelo longe pulcherrimo, & excellentissimo, cui nequitiam pepercit, sed propter unicum arrogantiae crimen a conspectu suo è coelesti gloria in baratri abyssum citra omnem spem recuperandæ veniæ, ipsum vna cum infelici grege suo abiecit. Principes itē humani generis Adam atq; Heuam ob vnius inobedientiae perpetratum ab ipsis in paradiso crimen, illinc vna cum vniuersa sua posteritate profligati sunt. Quinimo vltra omnē formidabilem in peccatores in hoc mundo animaduersionem, supplicium adhuc parauit futurum, nimirum æternum illud tormentum gehennæ ignis. O homo quisquis es in tuis flagitijs induratus, vel illud succurrat animo nunquam, quam sit horrendū incidere in manus Dei viuentis. Succurrat vel propheticum illud. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? O cor scelestum cogita & rememora horredum illum domini diem, quando filius hominis Christus IESVS proditurus est seuerus iudex, quem modo paruifacis aut etiā vilipendis, quando idem conspicietur cum pote-

potestate magna & maiestate, quando angelici illum comitabuntur spiritus, horrendo tubarum tonitru omneis tam viuos quã mortuos ad seuerum citantes & cogentes iudicium: quando ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Heu, tecum reputa, quo sis tunc animo futurus, quando nusquam patebit subtracti oni aut occultationi locus. Quantus horror quanta te tunc percellet anxietas? Heu, vae, vae, quid tum acturi sunt infœlicissimi peccatores, qui modo cum tanta securitate suæ sequuntur voluntatis libidinem, Dei mandatis contemptis, quando exactissimam iubebuntur reddere rationem omnium, a minimo sermone ocioso, quem aliquando effutierunt, ad grauissimum vsque scelus, qd' aliquando perpetrarunt: quando extremum exercebitur ius, nulla data remissione? Quã angustato, qnam mœsto tum erunt pectore quum id fiet quod habet scriptura. Erubescant impij, & deducantur in infernum. Et Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Heu quantus tunc fletus protinus subsequetur post modicam hanc & momentaneam lætitiã, isq; perpetuo duraturus.

Luc. 21. e.

Mat. 24. c.

Psal. 49.

Et Psal. 30.

Iesa. 26. b.

iuxta sep.

inter.

I n Est

DE TRIBVS PARTIBVS.

Est itaq; peccatum, & formidabile pariter,  
& damnosum, ppter sequentē in futurū a-  
nimaduersionē. Quinimo & in sæculo hoc  
præsenti, grauem sibi iacturam facit pecca-  
trix anima, nimirum vitæ suæ, pulchritudi-

Amisio vi-  
tæ.

Amisio pul-  
chritudinis  
& nobilita-  
tis.

Thre. 4. a.

nis, nobilitatis, veri in pectore gaudiij. Extin-  
cta est peccatoris anima, & donec in pecca-  
tis perstat nihil sibi confert ad salutem quic-  
quid operatur. Quamlibet opera ipsa vide-  
antur laboris plena & pia, quamlibet foris  
æstimentur bona, nihil tamen ipsi queūt p-  
desse. Quicquid perditus peccator exercet  
operis Deo habetur ingratum, quandoqui-  
dem non ex ipsius id designat amore, nō in  
ipsius gloriam. Quam sit autē turpis ac de-  
formis peccatoris anima, corporeis his lumi-  
nibus omnino cerni haud potest: multa ta-  
men hac de re arcanæ loquuntur literæ, ma-  
ximè Threnorum liber apud Ieremiam: vbi  
ita scriptum est. Quomodo obscuratum est  
aurum: mutatus est color optimus, dispersi

Ibidem. b.

Thre. 4. b.

sunt lapides sanctuarij in capite omniū pla-  
tearum: Filij Sion inclyti & amicti auro pri-  
mo, quomodo reputati sunt in vasa testea?  
Denigrata est supra carbones facies eorum,  
& non sunt cogniti in plateis. Item. Egres-  
sus est à filia Sion omnis decor eius. O verè  
ingentem mutationem, si quis eā posset in-  
tellectu

tellectu comprehendere. Quippe anima que nuper a summo adamabatur, & redimita erat rege, utpote eidem sponsa effecta, per suam scortationem & fidei violationem, quodam veluti putidum ac vile efficitur scortum, & abiectum diaboli mancipium, sub cuius se conicit dominium, quum alioqui sit in libertatem asserta per sanguinem Christi.

Quapropter dominus per prophetam, ita animam compellat dicens. Excute de pulvere, consurge, sede Ierusalem. Ier. 52. 2.

Solve vincula colli tui captiva filia Sion. Hoc est. O nobilis anima, nobilis natura in qua condita, sed nobilior gratia, & gloria ad quam vocata es: exitialis istius tui status contemplare miseras, in quibus tam ærumnose detineris captiva, ut nec stare integrum tibi sit, nec sedere: sed neque sublato collo spectare quidem cælos, aut cœlestia licet contēplari: sed contra brutis animantibus similis effecta es, que prona semper terram spectant. Et re vera, Psal. 46.

ut David testatur. Homo quum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Super quo beatus Chrysostomus inter cætera ait, Chry. To. 3. in ser. de asc. domini.

Vides quod totius malitię fines excessimus? Asinis & bob. irrationabiliores ostēdimur, sensu volatiliū superamur, nec ipsis lapidibus cō-

Plal. 57. <sup>2</sup>

dibus comparamur, sed serpentium malignitates imitamur. Furor namq; ait eorum, in similitudinem serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum. Sed quid multis immoror, quando in confessio est omne malū, damnum, dedecus, molestiam & poenam omnem proficisci ex peccatis, quæ sunt innumera. Et quamuis nullius faceret rei iacturā peccator, præterquam tranquillitatis bonæ conscientia, & tranquillæ vitæ cum Christo in hoc seculo, abunde tamen magna hæc ipsa foret iactura. Nam quanto suavius & facilius sit viuere iuxta præcepta dominica & iuxta dictamen rationis, quam vitam ducere huic diuersam, satis exploratum est ijs, qui aliquo præditi sunt sano intellectu. Qui enim frequenter diffluit in gulam, aut in libidinem: qui facile percellitur iracūdia, odio aut inuidia: qui torpet ignauia, aut animi laborat grauedine, multa seipsum afficit molestia & inquietudine: ac raro cor habet tranquillum, sed fere continuo agitatur tumultu, aut perturbatione. Vnde rectè tradiderunt ethnici quidam philosophi re ipsa edocti, virtutem ipsam longè plus adferre voluptatis, quam vitium, & virtutem vel hoc nomine dignam esse quæ exerceatur, quòd secum homini multum adferat cōmoditatis

diratis, voluptatis, & tranquillitatis, idquē  
 tam quoad animum quam quoad corpus.  
 Pietas enim (inquit apostolus) ad omnia vti  
 lis est, promissionem habens vitæ quæ nūc  
 est, & futuræ.

1. Tim. 4. c.

Quòd quisque etiam à peccatis venialibus  
 sibi cauere debeat. Cap. 12.

**S**crutemur vias nostras: & quæramus, & Thre. 3. e.  
 reuertamur ad Dominum. Protulit hūc  
 sermonem post vastationem inclytæ vr  
 bis Ierusalem in suis lamentationibus pro  
 pheta Ieremias: quo peccator quisque ad  
 monetur, vt sollicita cura perscrutari, intelli  
 gere, & agnoscere studeat prioris vitæ suæ  
 prauitatē, oīnq; prauorū operū suorū tam  
 grauiorū quam leuiorū absurditatē & per  
 nitentiam, sequens in hoc eiusdē pphetæ com  
 monitionem ita dicentis. Leua oculos tuos  
 in directū: & vide vbi nūc pstrata sis. Vbi  
 autē eorū notitiā fuerit consequutus, parē  
 aut sollicitiorem etiam diligentiam adhibere  
 debet studio parādē contritiōis, sed eius que  
 grauitati respōdeat cōmissorū. Vñ Mic. p. Mich. 1. c.  
 phe. Sup hoc inqt plangā & vlulabo: vadā  
 spoliatus & nudus. Faciā planctū velut dra  
 conū, & luctū q̄si strutionū. In hoc aut plan  
 ctu assumēdo deplorabis nō potissimū q̄ te  
 coelestib. gaudijs priuaueris, aut q̄ te heredē  
 I iij fece.

Iere. 3. a.

Mich. 1. c.



DE TRIBVS PARTIBVS

feceris perpetuæ damnationis, aut propriū  
 aliquod damnum vel dedecus: sed ante om-  
 nia, quod irreuerentiam attuleris diuinę ma-  
 iestati, quodq; immensam dei bonitatē con-  
 temperis atq; offenderis. Hic est planctus  
 syncerus & christianus, ex diuino pficiscens  
 amore. Nam proprium duntaxat incommo-  
 dum deplorare, ex amore proficiscitur sui,  
 & ex timore, per quem solum nemo potest  
 saluari. Quanquam qui saxeo sunt corde, ti-  
 morem ipsum libi quærere debent ad emol-  
 liendam cordis sui duritiem: verum in ipso  
 solo persistendum non est: sed ex timore ad  
 amorem veniendum est. Itaq; si spectes quis  
 in peccato ipso offendatur & contemnatur  
 abunde graue commissum deprehendetur,  
 quamlibet videatur esse leue. Vnde beatus  
 Augustinus ait. Peccata etsi sint parua per  
 Dei misericordiam, fiunt magna in peccato  
 ribus negligentia. Nullum enim peccatum  
 adeo paruum, quod nō crescat neglectum.  
 Non enim considerādum quod fecerit, sed  
 quem offenderit: quam bonus est, quam be-  
 nignus, quam pius, quam propitius, qui illū  
 sua dulcedine & pietate creauit ex nihilo.  
 Quare quisquis vitam suam corrigere, fox-  
 liciterq; in virtutibus progredi, & Deo desi-  
 derat optimè placere, haudquaquam parui  
 aestimare

Aug. de ve.  
 & fal. pœ. 8.

estimare debet quantulacumq; venialia commissa: nam vt idem ait Augustinus. Talem patrem offendere: & contra eius voluntatē *Ibidem inf.* aliquid committere, animaduertentibus, ac se non ignorantibus, quam est crudele?

Quicquid ergo in Deum committitur, neuiquam debet quis vt leuiculum vilipendere. Ad hæc si parua multiplices, vnū tandē constituent magnum. Argumentum est non ibi adesse amicum Dei amorem, vbi nullus est de peccato metus, nullaq; venialium admissorum habetur ratio. Filius qui erga parentem affectus est amore sincero, semper veretur committere quicquid quoquo modo parentem posset offendere, quanuis etiā sit exiguum, etiamsi non ignoret ob id sese a paterno amore non prorsus abijciendum: & omne illud ducit esse graue, quod quocumq; pacto patri nouit displicere. Ita quoq; se habet qui Deum syncerè amat: Ab omni semper pro viribus sibi cauet lapsu, siue graui siue leuiusculo: propterea maximè quod Deum per id qualequale est sciat offendi. Porro qui eiusmodi sunt vt venialiter delinquere nihil pensi habeant, neq; aliud refugiant, quam quòd flagitium foret capitale, in periculoso consistunt statu: & metuendum est ne à vero Dei amore sint alieni. Sed hic ita eiusmodi re-

modi re-

DE TRIBVS PARTIBVS  
modi respondent. Non ignorat altissimus  
nostram imbecillitatem, neq; enim fieri po-  
test, vt quis omnem euitet lapsum veniale.  
Ita quidem habet: verum id nō prorsus nos  
excusat, nihil enim obstat quo minus sedulo  
incumbere possimus, vt veniales noxas eui-  
temus, quantum cum diuinæ gratiæ adiuto-  
rio fieri potest. Item impossibile non est, su-  
per cotidianis commissis cotidie compun-  
gi & ingemiscere: imo in hoc quisq; ex diui-  
ni amoris æquitate Deo deuinctus est. Ad  
hæc meminisse nos oportet omne vitium,  
etiam leuissimum quodq;, quādo cōtra dei  
voluntatem libero peccatur humanæ volū-  
tatis arbitrio, abunde tale esse, cui iure debe-  
atur perpetua damnatio: & quod venialia  
nos non condemnent, non nisi diuinæ esse  
misericordiæ, quæ talia nobis in perpetuā  
damnationem non imputet. Quod autē ve-  
nialia summopere Deo displiceant, aperte  
demonstrauit in amico suo Mose, qui vt ob  
singularem quandam amicitiam ad familia-  
re Dei admissus est colloquium, ita ob mo-  
dicæ diffidentię cuiusdam peccatum, per  
quod multitudini cui ipse dux præerat, offen-  
diculo fuit ab ingressu terræ promissæ vna  
cum infideli populo reiectus est. Similia de-  
signauit & alijs nonnullis amicis vitæ fau-  
ctimonia

etiam

testimonia claris, in quos vel ob venialia cō-  
 missa acriter animaduertit, nonnunquam  
 in præsenti vita, idque vel in corpore per  
 morborum molestias, vel in anima per sub-  
 tractionem dulciter confouentis gratiæ: nō  
 nunquam post præsentem vitam per ignem  
 purgatorium, nam re ipsa olim deprehensum  
 est ita pios nonnullos homines debuisse ex-  
 purgari, quos tamen sanctos fuisse eviden-  
 tia miraculorum testimonia ipsis adhuc vi-  
 uentibus, aut iam è viuis sublaris ostensa ma-  
 nifestè comprobarunt. Quam ob rē qui ni-  
 hil omnino veretur cotidie committere ve-  
 nialia, & hæc ipsa nihili facit, secum reputa-  
 re potest quinam diuinam in se gratiam pos-  
 sit tueri. Vnde Bernardus. *Cauete inquit fra-*  
*tres, ne quis parua reputet, quamlibet par-*  
*ua scilicet delinquere conuincatur. Nemo*  
*dicat in corde suo, leuia sunt ista, non curo*  
*corrigere: non est magnum, si in his maneā*  
*venialibus, minimisq; peccatis. Hæc est enī*  
*dilectissimi inpenitentia, hæc blasphemia*  
*in Spiritum sanctum, blasphemia irremissi-*  
*bilis. Proinde secum iam quisque expēdat,*  
*non an quicquam possit haberi aut dici*  
*paruum, quod contra*  
*tantam com-*  
*mittitur maiestatem.*  
 Quomo-

Ber. ser. de  
 con. bea.  
 Pau. 10.

Haec ille.

DE TRIBVS PARTIBVS

Quomodo mens deo deuota lamentari debeat suam  
supinitatem & vitam secularem. Cap. 11.

**Q**uisquis ergo verè cōuertere sese de-  
siderat ad dominum: aut in spiritu se-  
dulo studet promouere, cupiens si-  
mul & sibi & mundo huic demori, tamen  
fortasse tetriora nulla flagitia commiserit,  
nec sibi conscius sit, de alijs quam de solis ve-  
nialibus peccatis, planget nihilominus hoc  
nomine, quòd non a puero totum sese ex in-  
timo cordis affectu accommodarit diuino  
amori, ita cum beato Bernardo dicendo. **O**  
**Bern.** domine Deus, quantum mihi temporis pe-  
riit, in quo me comperio sine fructu vixisse  
ante tuos oculos. Quomodo audebo aut po-  
tero leuare faciem in magno illo ac tremen-  
do die iudicij, quando enumerari facies om-  
nibus vitæ meæ dies, quādo inquirens & per-  
scrutaberis quem fructum fecerim in singu-  
lo quoque illorum? O domine Deus vt quid  
neglexi satagere, vt tibi cor meum omni tē-  
pore vnirē, vt te affectu & intentione com-  
plecterer, vt gaudium meum in tua sola dul-  
cedine collocarem? Vbi omnes internæ ani-  
mæ meæ vires fuerunt, quando tecum non  
fuerunt, quum omnes creaturæ a te habeant,  
quicquid in ipsis est laudabile, desiderabile,  
aut delectabile? Poterit quoque qui eiusmodi est

di est & alias consimiles plangendi formas  
 sibi confingere: atque hoc aut simili aliquo  
 modo secum frequenter cogitare, aut dice-  
 re. O mi Iesu fons omnis pietatis, mihi con-  
 donare velis, quod haecenus immensam, mel-  
 lissimam, & increatam tuam dulcedinem non  
 uti dignum est cognouerim: quodque (vilipe-  
 so animae meae ornatu, neglectaque foelicissi-  
 ma animae meae cum tuo dulcissimo spiritu  
 unione) adnissus non sim, ut illam potuissem  
 gustare: praeterea quod tam raro in meum  
 ipsius cor descenderim, illud tibi paraturus  
 cubiculum in quo saepe numero & diu pote-  
 ras conuiuuisse, ut ibi te exciperem, ibi te  
 dulciter fruerer. Vae mihi infelici. Indulge  
 mi desideratissime amator, quod placidissi-  
 mam & optimam voluntatem tuam non semper qua-  
 erim nec sequutus sim: quod tuam amicitiam  
 non aestimauerim esse meum summum bo-  
 num: sed quod prodigum illum imitatus fi-  
 lium, multo tempore porcos pauerim, por-  
 corumque filiquis, hoc est inanibus ac foedis  
 voluptatibus mundi huius saepe numero pa-  
 stus sim. Ignosce quod serius te agnoscere,  
 quod serius coeperim currere in odorem tu-  
 orum unguentorum, nempe gratiarum atque  
 virtutum. Ne quaeso mihi tuam subtrahas  
 dexteram, nec dedigneris opem ferre vel se-  
 ro tandem

ro tandem

ro tandem resipiscenti: sed eo me magis corrobora, eoq; inpelle vehementius, quo resipiscere cœpi serius (quandoquidē bona temporis mei portio iam dudum exacta est) vt celerius currendo præteritum tempus, quod mihi perire passus sum, redimam: vtq; mortis meæ nox non me prius obruat, quam ad eum peruenero statum, ad quem me semper oportet properare, qui est perfecta animæ meæ cum spiritu tuo vnio, per verum, sincerum & perseverantem amorem.

Quemadmodum dolere, seq; ad impetrandam veniam exercere debeat, qui grauioribus est obnoxius vitiis.

Cap. 14.

**Q**uod si vero quis grauioribus sit onustus criminibus, longē debet seueriore compungi dolore: atque adeo cotidie ciulare, & in ipsum cœlum vociferari, cogitando & complorando, quod quasi adultera & impudica quæpiā mulier in cœlum peccarit, dum sponsum suum Iesum cōtempnit, dumq; conditorem, redemptorem, & conseruatorem suum vilipendit. Frequēter quoq; ignitis precibus incumbere toto pectore debet, prout sese potest efficacius ad id excitare, non quidem ex libellis flaccidè legendo, sed ex animo, ita nonnunquam cum Augustino dicēdo, Peccare o quam amarā res

Aug. de cō.

inara res est: & mala res est peccatum: *id est*  
O peccata quam faciles aditus habetis dum  
suadetis: & quam difficiles exitus habebitis.  
Dum suadetis inungitis, sed postquam sua-  
seritis, vsque ad mortem animæ pungitis:  
foetores quos inducitis, vsque ad iniquos v-  
tres includitis. Dum autem sic precibus va-  
care studet, poterit nonnunq̄ diuersum sibi  
in orando sumere habitum, variatis in hoc  
cordis sui affectibus: interim videlicet affe-  
ctum sibi formando hominis vltimo suppli-  
cio addicti, & miserandis eiulationib. mor-  
tis euasionem flagitantis: interim personam  
sumendo filij iamdudum. quidem propter  
offensas a parente abiecti atq; exheredati:  
sed iam genibus aduoluti paternis, & veniã  
precantis, interim affectum sumendo debi-  
toris coniecti ob æs alienum cuius soluen-  
do non est in vincula, & exposcentis remissi-  
onem & gratiam: interim adulteræ mulie-  
ris in se personam transferendo, quæ viola-  
to thoro conjugali à viro suo repudiata sit,  
& quæ iam tandem ad ipsius cupiat redire a-  
micitiam. Ex his aut̄ eum sibi assumet mo-  
dum seu affectum, quo se maximè deprehen-  
det emolliri & affici: nec facile eum permu-  
tabit, sed in eodem continenter persistabit  
donec se sentiat emollitum.

Ad



DE TRIBVS PARTIBVS

Ad hæc ad maiorem affectus efficaciam, nõ  
 nunquam si tacitè fieri poterit, externos rei  
 ac damnati hominis gestus in se exprimer,  
 manus suas in scapulas coniiciendo, aut simi  
 le quid apud se designando: nam id summo  
 pere interdum conducit ad profectum in  
 ternum: nonnunquam suam obstinationem  
 & duritiem cum vlulatu quodam ante oca  
 los diuinæ maiestatis complorando, atq; ad  
 hunc aut similem modum orando. O domi  
 ne parce nobis: si fieri potest, ne perdas vna  
 cum deploratis infidelibus, qui altissime tue  
 maiestati non obsequuntur. Respiscimus õ  
 domine cordium nostrorum perscrutator a  
 Pfal. 101. nostris malis. Defecerunt sicut fumus dies  
 nostri: & ossa nostra, hoc est omnis animæ  
 fortitudo, omnes animæ vires, sicut cremiũ  
 aruerunt. Miserere, locum pœnitentiæ in  
 Pfal. 38. g. dulge: inopes enim & miseri facti sumus ve  
 hementer. Vbi sunt misericordiæ tuæ anti  
 quæ domine, quas tam affluenter exhibui  
 sti antiquis nostris patribus & patriarchis,  
 quas loquutus es per os sanctorum, qui a sæ  
 culo sunt, prophetarum tuorum. Heu, quan  
 do tandem peruenturus sum ad primum il  
 lum innocentia & veræ puritatis statũ, vn  
 de infeliciter excidi miser? An arbitraris õ  
 anima infelix dominum tibi fore propitiũ,  
 an

an expectas diuinæ clementiæ in te conuer-  
 tendos oculos? Quis scit si conuertatur &  
 ignoscat Deus, & viuas? O putida anima, Iohe. 2. 68  
 infœlix creatura, quid tandem dictura es,  
 quum pro tribunalibus stabis Filij Dei viui,  
 seueram ab illo acceptura sententiam, in cu-  
 ius manus teste Paulo horrendum est incide-  
 re. Heb. 10. 6.  
 Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ ti-  
 more iram tuam dinumerare? Quare ô ani-  
 ma peccatrix, persta in luctu super tua ipsi-  
 us morte, nam si homines sancti pœnitentiã  
 egerunt, doluerunt & illachrymati sunt ob  
 peccata aliena: quemadmodum de Daniele  
 legimus, ita de se loquente. Ego Daniel lu- Dan. 10. 2.  
 gebam trium hebdomadarum diebus: panẽ  
 desiderabilem non comedi: & caro & vinũ  
 non introierunt in os meum. Et item de Es-  
 dra, Neemia, & singulariter de beato Iob:  
 sed longè etiam eminentius de beato Iohan-  
 ne baptista, qui veræ pœnitentiæ extitit ex-  
 emplar, vtpote qui omne humanum renun-  
 cians solatium, aspero tectus est indumen-  
 to, viliq; pastus est alimento, cum tamẽ san-  
 ctus prodierit ex ipso matris vtero, qd nos  
 non facere oportet, qui in peccatis nati su-  
 mus, in peccatis viuimus, & toti vitijs made-  
 mus vndiq; Quare neutiquam tibi persua-  
 deas velim, vllam pœnitentiam tibi esse suf-  
 k ficientem

DE TRIBVS PARTIBVS.

Psal. 140.

ficientem: (quanquam interim videndum,  
ne in desperationem abeas) sed quod illi di-  
minutum est, sarcire stude profunda humi-  
litate: tuam ipsius agnosce imperfectionē:  
assiduē in votis tibi sit: pœnitentiam subire  
semper duriores & maiorem: precare Do-  
minum vt corripiat te in misericordia: atq;  
adeo hic te potius pro merito puniat, quā  
in futuro, ita humili voce clamando. O pa-  
ter & domine deus totius mundi, si fieri po-  
test, ne nos excruciarī patiaris supplicis il-  
lis nunquā terminandis, alias nobiscum agi-  
to pro tuo arbitrio. Hic tanquam medicus  
vre, seca, crucia, quo sanitatē consequamur  
in anima, sed ne vt seuerus iudex æterna  
morte nos iubeas condemnari. O domine,

cuius prudentia vniuersa cœli

& terræ machina susten-

tatur ac regitur, ne

nos dnudi-

ces pro

rigore tuæ

æquitatis: nosti enim

fragilitatē conditionis humanæ:

Nos ipsos tuæ tradimus voluntati,  
nunc & in omnia sæculorum volumina.

Quòd ad facilius veniam impetrandam sint  
etiam sancti iauocandi. Cap. 16.

Subinde

**S**Vbinde quoque ad abundantius veniā  
 & gratiam impetrandam id facies, qd'  
 miseri & captiui solent, qui amicos, aduo-  
 catos, & patronos sibi quærunt, quibus vt  
 mediatoribus vtantur ac iuuentur apud Sū-  
 mates, non quod altissimus secus te nolit in  
 gratiam recipere, sed vt amplius te humi-  
 lies, magisque Deum in Sanctis suis glori-  
 fices. Quippe hoc ipsum summè ipsi acce-  
 ptum est, & nonnunquam etiam expetit: *Iob. 42. b*  
 Sic enim tres amicos Iob ad ipsū Iob misit  
 vt intercessione ipsius veniam mererentur, *Gen. 20. b*  
 sic Abimelech misit ad Abraham. Itaque  
 subinde Reginam illam misericordiæ MA-  
 RIA M tibi aduocabis, sed cum humilita-  
 te interim & pudore, cōtemplans illius sum-  
 mam puritatem, & contra tuam ipsius spur-  
 citiem. Nonnunquam ad alios magni me-  
 riti Sanctos te conuertito, eosque inuoca- *Iob. 5. a*  
 to: potissimum eos, qui in vita sua aliquan-  
 do insignes fuere peccatores, & per pœni-  
 tentiam ad summam euecti sunt gloriam,  
 eosdem apprecans meminisse velint collatę  
 sibi indulgentiæ, teq; iuuare velint ad id ad-  
 sequendū quod ipsi adsequuti sunt, ita dicē-  
 do. O beati cœlorum principes, memo-  
 res estote miseriarum, quibus aliquando  
 fuistis expositi: nos commiseramini in ea  
 k ij adhuc

DE TRIBVS PARTIBVS.

adhuc necessitate constitutos, a qua vos clementia diuina eripuit. Sic ergo omnib. modis teipsum perurgebis ad studium obtinenda veræ contritionis, & requirendæ inueniendæq; veniæ, cauendo tamen semper ne cordis tui mœror per quandam vultus amaritudinem foris pateat hominibus: quin potius sat esto, quod pectoris tui dolorem soli Deo offeras.

Quòd absolutam cupiens agere pœnitentiam, omnes defugere debeat mundi huius voluptates.

Cap. 16.

Osee. 9. 2.

**N**Oli letari Israel, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo.

Loquitur hoc sermone dominus per Osee prophetam ad omnem peccatorem, quo admonetur defugere & abdicare omnes mundi huius voluptates, si veram cupiat agere pœnitentiam, aut verã assequi contritionem. Hic animaduerteudum hominis naturam constare ex duobus, nempe anima & corpore: inter quæ tam arcta est necessitudo, vt nec anima sine corpore recte possit gaudere tristariue, nec corpus vicissim sine anima. Nam si homo vehementer excrucietur intus, nihil corpori libebit foris. Vicissim si corpus doloribus afficiatur, non poterit spiritus hominis verè sese oblectare.

Si

Si vero contra corpus ipsum solatio aliquo fruatur, haud poterit tum anima verè contristari, propterea quod à corpore ipso rapitur in diuersum. Idcirco qui vera tangi cupit animi contritione, & seipsum exercere cupit ad dolorem spiritualem, corpori suo subtrahere debet nocentes omnes mundi huius voluptates, rebus autem quibus corpus, aut bruta hominis portio notabilem aut nocentem voluptatem capere consueuerint, cum prudenti vti debet moderatione, aut si fieri potest, prorsus a se eas debet abdicare. Musica in luctu (inquit sapiens) importuna narratio. Vnde multis in locis sacrorum voluminum legimus, quomodo qui verè respiscere & per synceram cordis compunctio nem veniam a Deo cupiebant promereri, ante omnia carni suæ subtrahebant omnes delicias, & e contrario seipsum doloribus, poen nis & probris afficiebant, temperabant ab vxoribus, affatim ieiunabant, parco viliquè cibo vescebantur, vestimenta delicatiora p riciiebant, proq; his squallidos saccos sumebant, capita aspergebant cineribus, nudam carnem asperis ciliis conuestiebant, in templis pronos se solo insternebant, & cum tanto vocum fragore remissionem flagitabāt, vt formidabile ac lamentabile esset audire.

Eccl. 22, 30

k iij Hæc

DE TRIBVS PARTIBVS

Hæc autem ideo agitabant, vt per corporalem afflictionem se ipsos efficacius excitarent ad afflictionem spiritualem. Imo quod dictis omnibus admirabilius videtur, etiam bruta animantia interdum ieiunare cogebant: quemadmodum in Ionæ vaticinio legitur. Quum enim Ionas iussu domini Niniuen ciuitatem ingressus clamare cœpisset. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, auditumq; esset hoc verbum a rege, mox ex eiusdem mandato tale proclamatum est edictum. Homines & iumenta, & boues & pecora non gustent quicq;, nec pascantur & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine. Non quod bruta animantia quicquam mererentur suis ieiunijs, aut aliquid impetrare possent suo clamore aut stridore: sed vt pectora humana per eiusmodi miserabilem fremitum ad terrorem, anxietatem & cordis contritionem impelli possent: quæ plerunq; adeo sunt rigida & saxea, vt nõ queant aliter flecti, quàm per molesta & horrenda quædam terriculamenta seu grauamina foris sensib. exposita. Et quæ admodum feras nonnullas videmus non nisi fame, & berib. aut angorib. posse cicurari: ita ferinos quosdam homines reperias, non nisi mo-

lestip

Ionæ. j. b. c.

ibidem. d.

lestijs flectēdos. Hac de causa olim veteres illi sancti prēs admonere solebāt peccatores qui tetrriorib. & plurib. erant criminib<sup>9</sup> obnoxij, vt si verā pœnitētiā agere vellent, ab oibus sese subducerēt huius mūdi oblectamētis, vetabāt illis ne nuptijs interessēt, & ne loca illa adirēt, vbi res ludicrę tractarēt, vt pugne, simulachra, certamina sagittatoria, comœdię, & id genus alia, sed ad monēbāt & nonnūquā etiā iubebāt peccatoribus, vt ad tēp<sup>s</sup> e patria, domo, aut ppinquis secederēt, & in aliena terra peregrinos agerēt: aut etiā in cœnobio aliquo aliquantisper versarentur, ita vt auellerentur ab ijs vnde animus eorum voluptatem capere cōsueuerat. Quod sanē multis etiā hac tempestate apprime foret necessarium. Nam vt hoc die aut hac hora accommodare se cœperint ad cogitanda, & plangenda sua commissa, die aut hora proxime sequenti in contrarium rapiuntur, idq; per aliqua mundi huius iritamenta, quæ nolunt, aut non possunt effugere, in suo, in quo sunt, persistentes statu seu loco, vbi variæ sese offerunt mundanæ illecebræ, quas non perinde queunt defugere: atque ita in ap̄phēsa pœnitentia non progrediuntur, nec ad ip̄m verę cōtritiōis fundū queūt peruenire:

k iij sed



Eccl. 34. d.

sed illud his vsuuenit quod ait sapiens ecclesiasticus. Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Vnde nihil mirum quòd tam rari sint, qui perueniant ad perfectionem: quippe quum in ipso impingant fundamēto, & in primo statim gradu: nempe pœnitentiam non subeunt suis peccatis dignam: imo nec norunt quidem quo pacto sit ea apprehendenda: Videmus plerumq; dum sese tradere volunt vitæ monasticæ, quæ est ratio quædam, seu subsidium longe commodissimum ad peragendam veram pœnitentiam, ad euadendas õnes mundi huius illecebras, hoc ipsum aggredi magna cum animi leuitate, & nonnullos etiam ridentes huc accedere. In ipso ingressus exordio haudquaquam se tradunt studio mactandi sui, & contemnendarum secularium voluptatum, quam ob rem potissimum cœnobita instituta sunt: sed contra omnibus se dedunt quas inibi nancisci queunt, ineptis letitijs, per inane nouitatis studium, ea audiendo, videndo aut loquendo, quæ non ad salutem, sed ad carnalem affectũ potius spectant, secumq; momentaneam aliquam consolationunculam adferunt: item per futilitatem inanum verborum: per intemperantiam cibi ac potus, vnde eiusmodi magnam capiunt voluptatem

voluptatē : tanquam si prorsus ignorarent,  
quid ipsorum statum deceret, & cur ad mo-  
nasticam sese vitam cōtulissent. Hinc Chry Chry.  
sostomus ait. Sicut fieri non potest, vt ignis  
ardeat in aqua: ita fieri non potest, vt dolor  
cordis perseueret in voluptatibus carnis.  
Quare eiusmodi homines haudquaquē sibi  
persuadere debent quòd vitam suam muta-  
rint aut conuerterint: neq; enim conuersio  
est, vbi sola mutatur habitatio & vestis: sed  
idem cor, ñdem permanēt mores qui prius,  
quando quis eādem retinet leuitatē quam  
habuerat prius. Esto etiā: persuadeat quis si-  
bi, nulla se grauiora crimina in anteacta vi-  
ta commisisse, aut non eum stimulet talium  
cōscientia, nihilominus tamen, si se penitus  
ad Deum conuertere, et ad præstantiorem  
se velit vitā transferre, a cordis contritio-  
ne debet auspiciari: atque deplorare bona  
omnia quæcunq; poterat præstitisse: atq; a-  
deo tempus omne quod se meminit parum  
fructuosè exegisse. Aut certè meminisse de-  
bet, ad huiusmodi statum in hoc se à Deo es-  
se vocatum, vt peccata plangat aliena, & p-  
eis abolendis Deū precibus sollicitet ex cha-  
ritate. Quandoquidem ( vt tradunt docto-  
res) præcipuus scopus ad quem religiosi vo-  
cati sunt, & quamobrem monasteria primū  
instituta

DE TRIBVS PARTIBVS

instituta sunt, est deslere propria & aliena peccata. Iam si quis pergat euoluere mundi huius flagitia, potissimum hoc nostro saeculo, quo erroribus & prauitatibus plena sunt omnia, argumentum sanè offendet multo vberimum, quo abunde quis excitari poterit ad contritionis lamenta. Sed vt ad id vnde digressi sumus reuertamur: docent nos mystica volumina multis in locis, quemadmodum carni nostræ subtrahere debeamus suam voluptatem, & pro ea afflictionem illi adferre, si celerius ad cordis compunctionem cupimus peruenire, sicuti peculiariter in prophetarum vaticinijs cernere est, vbi

Iohel. 1. b

Hebræorum populum ad pœnitentiam adhortantur. Vnde Iohel. Expergiscimini inquit ebrj, flete & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, hoc est quicunq; mundi huius delitijs studeatis & immerfi estis, nec secus illis obruti estis, quam ebrius quispiã potu, expergiscimini, hoc est a vobis abdicare, & relinquire omnes prauas voluptates: & ad lamenta vos conuertite, & plerum peccatorum. Hæc dixerim, non quo sic se quisquam mœrori tradat, vt ne vel moderatam quidem & sobriam lætitiã admittat, quum hæc nonnunquam ob naturæ infirmitatem etiam suadenda sit: sed

vt

vt resipiscens, ab immoderatiore lætitia ab-  
 stineat, vtpote quæ impedire posset mœ-  
 rorem spirituales: & ne lætitiã aliquã  
 vehementiori studio ambiat, sed necessari-  
 am tantum subsidio naturæ alioqui imbe-  
 cillioris quasi coactus admittat, nusquam  
 in exteriori lætitiã diutius immorando, sed  
 semper interiorem illam humiliter expe-  
 ctando, de qua Dominus per prophetam. *Iere. 31. 6.*  
 Conuertam inquit luctum eorum in gaudi-  
 um: & consolabor eos, & lætificabo à do-  
 lore suo.

Quomodo cor transfodi debeat ad acqui-  
 rendam gratiam lachrymarum, ei  
 qui mentis est rigidioris.

Cap. 17.

**Q** Vando iam multa de cõtritione tra-  
 didimus, indignum foret si hic de a-  
 qua lachrymarum loqui prætermi-  
 teremus, quum in ipsis peccator veluti retin-  
 gatur, & nulla res magis Deum flectat, &  
 cogat quodammodo ad veniam, atq; riuus *Cli. gra. 7*  
 lachrymarum. De quibus ita Cli-  
 macus. Sicut ignis inquit comburit stupam,  
 sic castæ & sanctæ lachrymæ consumunt  
 sordes animæ visibilibus & inuisibilibus.

Vnde

DE TRIBVS PARTIBVS

Vide Aug.  
ser. ad fr. in  
ere. i. itum  
in Scala par  
e. 6.

Jer. 9. a.

Vnde Augustinus aquam lachrymarum nõ  
iniuria lauacrum appellat, quòd per eam ab  
luatur anima, vt pulcherrimo sponso Chri-  
sto digna & munda efficiatur sponsa. Quo-  
circa si quem sollicitum habet quomodo ad  
hunc fontem lachrymarum possit perueni-  
re, ita vt cum propheta Ieremia exclamet.  
Quis dabit capiti meo aquam, & oculis me-  
is fontem lachrymarum? is scito gratiã hãc  
lachrymarum ex hominis corde proficisci,  
non secus atq; aquam ex terra. Quisquis au-  
tem aquam alicubi in sua terra desiderat, tã-  
tis per tamq; profunde fodiat necesse est, do-  
nec aliquam aquæ viuę venam inueniat: aut  
si forte vsquam fontem habet suapte natu-  
ra scaturientem, eo illũ ducat oportet, vbi  
necessarius est, aut vbi vsui esse potest. Ita  
quoq; spiritualiter fieri debet. Sunt pleriq;  
corde admodũ arido, nec facile moueri que-  
unt ad fletum, estq; hęc aqua illis & cara si-  
mul & rara. Qui ergo eiusmodi est, frequen-  
ter & penitus cor suum oportet perfodiat,  
& formidabilia quædam, aut certè amica &  
placida sibi ob oculos ponat, quibus possit  
emolliri. Multis sanè plurimo sudore & tẽ-  
pore ad hanc rem opus est, maximè ijs, qui  
elato & superbo sunt animo, qui fere sunt  
obstinatiores & aridiores, vtpote mōtibus

NON

non dissimiles, in quibus fere aquam non re-  
 perias, nisi altius fodias. Huius rei aptissimā  
 nobis figuram exhibuerunt venerabiles illi  
 patriarchæ Abraham & Isaac, dum tāto stu Gen. 26. c. 2  
 dio puteos sibi fodere curarent: quos inter-  
 dum ab hostibus occupatos aut terra opple-  
 tos magna cura studebant recuperare & re-  
 staurare, aut certè alios curabāt fodi. Quod  
 ipsum reuera in nobis completur, quoties  
 quis cor suum sedulo perfodere studet, eius  
 modi diuini amoris, aut timoris cogitatio-  
 nibus, quæ ipsum ad fletum emolliant: tunc  
 enim eiusmodi veluti viuam sibi aquā, fon-  
 tes aut puteos fodit. Verum hostes hoc ip-  
 sum animaduertentes omnibus adhibitis ma-  
 chinis salutarem hanc aquam auferre, & pu-  
 teos nituntur iniecta terra opplere: hoc est,  
 cor illius occupare student rebus terrenis, et  
 multiplicibus cogitationibus, ad hoc præ-  
 sens sæculum pertinentibus. O quot hodie  
 deprehendas homines, potissimum laicos,  
 imo & monachos, quos ita totos terrenis co-  
 gitationibus, sermonibus & actibus diebus  
 pariter ac noctibus cernas occupatos, obru-  
 tos & oppletos, vt nullum omnino spiritua-  
 libus rebus præbere possint locum. Atque ita  
 prorsus aridi permanēt, cor retinētes instar  
 terræ sine aqua torridum; aut si forte inter-  
 dum nō

DE TRIBVS PARTIBVS

dum non nihil emollescant, diutius ita per-  
 stare nequeunt, sed mox rursus irruentibus  
 terrenis cogitationibus offunduntur, atque  
 exarescunt. Vt autem fontem hunc aque vi-  
 uæ sollicitè per salutare cogitationes quæ-  
 rere, & inuentum possimus tueri, duobus o-  
 pus nobis est instrumentis, nempe timore &  
 Dei amore, quibus multa diligentia corda  
 nostra altius fodiendo debemus penetrare.  
 Quæ alta transfossio in hoc consistit, si qd'  
 animo pertractare decreueris, omni circun-  
 spectione illud peruidere pergas, atq; adeo  
 omni sollicitudine penitus intelligere stude-  
 as. Veluti si tua crimina contemplan, oëis  
 vndiq; circumstantias quoquo pacto crimi-  
 na ipsa aggrauantes expendas: si iuxta tradi-  
 tionem Augustini in lib. de pœni. conside-  
 res personam, tempus, locum, præcedentia,  
 subsequencia, qua occasione incepta, & quo  
 fine terminata quæq; sint. Vt exempli gratia  
 si quis per libidinem lapsus sit, & hoc crimē  
 suum bene cupit trutinare, vt inde ad cōtri-  
 tionem excitari possit, in primis contēplari  
 debet suam ipsius personam, expendendo,  
 quo in statu sit, an spiritualis, an pudicitiam  
 professus, an tali functioni destinatus, quā  
 ob exemplum subditorum deceat morum  
 integritas: deinde etiam personam, cū qua  
 peccarit

Aug. lib. de  
 ve. & fal.  
 pœ. cap. 14.

611

peccarit, an ipse illam huc pertraxerit. Ad hæc expendere debet, an violentia tentationis superatus sit, an maximè suæ ignaviæ culpa peccarit, nimirum quod quum prænosset pericula, non vitarit tempus, locum, personam, vnde sibi metuebat: an tali gratia donatus qua facile peccato potuisset resistere, si quod in ipso erat fuisset conatus: an peccarit die aut loco sacro, an sæpius in idem vitium relapsus sit: an post factum etiam sibi placuerit: an nulla protinus subsequuta sit pœnitudo. Hæc & his similia excutere debet, quisquis verè cupit sua commissa deflere. Sed quemadmodum cuiusq; rei quantitas exploratur potissimū tribus, Pondus peccati nēpe pōdere, mēsurā & numero, ita & pccī quātitas. Sicut. n. res quædam vidēt̄ exiguæ cū sint magnæ pondere, vt aurū & plumbū ita peccata quædā leuia estimant̄, citoq; trāseūtia, sed re ip̄a sunt magna & graua. Tūc Gravitas peccati ex parte Dei aut pccm̄ graue cēsēdū est, cū Deus grauter contēnit̄, veluti dū homo ip̄m q̄si nihili pendit, dum aliquid designat reclamante conscientia & timore, Deo posthabito aut Ex parte peccantis. etiam contempto. Similiter aggrauat̄ peccatum, dum homo seipsum grauter vitiat, cōspurcat aut cōfundit: vt si quis scedælibi dmi ita sit dedit̄, vt dei et suę salutis, p̄sus obliuif-



DE TRIBVS PARTIBVS

obliuiscatur, aut corporis lædat valetudinē  
aut in ea toto pectore acquiescat. Item si qs  
per iracundiam ita sese concutiat, vt impos  
efficiatur sui, extrema etiam ausurus, nisi a  
**ex parte** Deo cohiberetur, aut ab hominib. Tertio  
**proximi.** aggrauatur peccatum, dum proximo per il  
lud grauis fit iniuria, afflictio, iniustitia, aut  
dispendium. Contingit enim non raro, per  
nos quippiam fieri, in quo non perinde ma  
gnam prauitatem esse arbitramur, quum ta  
men inde proximo magnum accedat detri  
mentum, idq; vel in anima vel in corpore,  
vel in facultatibus, vel in fama: quæ forte  
per commissum eiusmodi grauiter lædun  
tur. **Mensura** Expenditur præterea peccati quantitas  
**peccati** mensura temporis: vt si rationem in eas quā  
to tempore in peccato aliquo perduraueris  
priusq; te mali tui caperet pœnitudo, aut p  
illo pœnitentiam subire statueres. Quæ san  
nè res maximam addit peccato grauitatem:  
**Pro. 18. 2.** propterea quod non æstimare peccatū, aut  
nolle respiscere peius est ipso peccato. Im  
pius enim quum in profundum venerit pec  
catotum contemnit. Tertio deprehenditur  
**Nume. pec.** peccati grauitas ex numero: vt si sæpius ite  
rentur. Potissimum autem aggrauatur pec  
cati impietas, si post actam pœnitentiam,  
postq; acceptam remissionem & absolutio  
nem, re-

nem, relabaris, quòd tum videaris quasi cõ-  
 temnere Dei indulgentiã, & audacius pec-  
 care super ipsius clementia. Qui ita & iuxta  
 condiciones supra indicatas posset sua cõ-  
 missa expendere, facile fontem nancisceres  
 tur quo illa ablueret. Quod si vero quis se-  
 ipsum per terriculamenta emollire cupit,  
 propositis sibi supplicijs gehennæ, hic simi-  
 liter omneis aggrauantes circumstantias ex-  
 pẽdere debet: quæ sunt, perpetua à Dei glo-  
 ria excommunicatio: ignis nullo tempore  
 extinguibilis, intolerabilis ardor: hostiũ in-  
 fernaliũ immanissimè in damnatos seuien-  
 tium horrẽda crudelitas, & impropria. Co-  
 gitabit præterea nullum ibi esse suffugiũ,  
 nullam requiem, nullam respirationem, nul-  
 lum solatiũ, sed solam mutationem & aug-  
 mentationẽ pœnarum: item interminabilẽ  
 esse penarum durationem, citra omnẽ eua-  
 sionis spem & expectationem. Per huiusce  
 modi profundarum cogitationum frequen-  
 tia exercitia, reperies haud dubiè in corde  
 tuo fontem aquæ viuæ: & laciẽm hauries  
 quasi ex alta terra. Quod si forte tamen, a-  
 deo sis in tuis sceleribus induratus aut exce-  
 catus, vt nullis omnino cogitationibus te  
 queas inflectere: sicuti sunt & terrę quædã  
 loca instar lapidis rigida, quæ ad fontẽ inue-  
 niendum

L niendum

DE TRIBVS PARTIBVS

Num. 20. b  
 niendum aut puteum extruendum non facile penetraueris, nisi malleis, cuneis, aut nõ nunquam etiam igne: ita & tu nonnunquã teipsum pœnis afficies, vt virgis cedendo ad exemplum Mofi, qui iussu domini bis percutiens petram abundantissimas excussit aquas: aut admouebis manus tuas siue pedes quatenus ferre potes igni, atq; hinc ita tecum cogitabis. O domine Deus quomodo perferre potero perpetuum illum ardorem ignis infernalis, qui huius ignis ne fumum quidem ferre queo? Ita omnem mouere lapidem debent, quo sese flectere tandem possint, qui pectore sunt rigidiores.

Quomodo lachrymæ ducendæ sint & conseruandæ, iis qui ad fletum faciles sunt. Cap. 18

**S**Vnt tamen nonnulli quibus hic aquæ vi suæ fons vel suapte sponte saliat, nimirum iis qui natura sunt molles, aut peculiari quodammodo, vel diuini amoris dulcedine ad fletum propensi, ita vt vltro & citra suum conatum illachryment: imo nonnunquam vix sese cohibeant à lachrymis, quoties quid audiunt commiseratione non indignum. His ergo industria quadam op<sup>o</sup> est,

est, qualem adesse cernimus ijs, qui fontem aliquem habent terrestrem. Sunt autem hi solliciti de duobus. In primis curant, ne aqua ipsa inutiliter pereat: vnde per canales aut riuulos eo ipsam deducunt, vbi vsui est necessaria. Secundo sollicitè aduigilant ne fontis ipsius puritas vsquam contamine tur, constructis in hoc plumbeis aut ligneis meatibus, lapideis receptaculis, cæterisque alijs, in quibus aqua ipsa tutius seruetur a sordibus immunis. Hos ipsos æmulari debent quotquot sunt animo molliore, & ad fletum faciles. Principio cauere debent, ne preciosam hanc aquam lachrymarum perire sibi sinant, & ne effundant frustra, vtpote ob res transitorias. Quapropter sollicitè per pijs cogitationes eo ipsam deducant oportet, vbi vtiliter, nimirum ob res contemplatione dignas, aut ad salutem pertinentes effundi possit: iuxta illud Dauiticum.

Psal. 124

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Hac de re ita scribit insignis ille theologus Climacus dicens. Quando sine studio anima efficitur lachrymosa, compuncta, deuota, & mansueta, tunc curramus ad orationem, & interpellemus Deum pro nostris necessitatibus, quia dominus venit ad nos non

Cli. gra. 7.

L ij inuita-

DE TRIBVS PARTIBVS

inuitatus, & dedit nobis spongiam tristitiæ  
 Deo placentis, de qua spongia exeunt aque  
 refrigerij, scilicet lachrymæ deuotæ ad de-  
 lendum nostra debita, quæ sunt scripta in li-  
 bro iudicis. Conseruemus istam compunctio-  
 nem sicut pupillam oculi donec nobis con-  
 ceditur, quia habet maiorem vim & effica-  
 ciam, quam illa quæ venit per nostram so-  
 licitudinem. Secundo loco obseruare de-  
 bet qui vel natura vel gratia ad fletum fa-  
 cilis est, ne aquæ huius fluxus alicubi interci-  
 piatur, aut puritas eius vsquam vitietur.  
 Hoc est, ab eis rebus sibi cauere debet, quæ  
 lacrymas ipsas indignas reddere possent  
 oculis diuinæ maiestatis, quæ sunt peccata:  
 neq; persuadere sibi debet sese ab omni cri-  
 mine esse immunem & Deo gratum, etiã si  
 cotidie sua commissa deploret, nisi summo  
 studio ab ipsis sibi caueat. Nam vt lachry-  
 mæ sint magnæ virtutis, haudquaquam ta-  
 men à se eam habent virtutem, sed à corde  
 vnde proficiscuntur: nempe quia illud vera  
 redundat contritione propter ardentē quæ-  
 dam affectum diuini amoris: qui sanè ma-  
 gnus esse nequit, si semper prestat æque vio-  
 lenta ad peccandum propensio. Vnde scri-  
 ptum est, Qui baptizatur à mortuo, & iterũ  
 tangit mortuũ, quid proficit lauatio illius?

Huc vsque  
 Clima.

Eccle. 34. d.

Et

Et beatus Gregorius, Penitentiam agere Greg. hom. Euan. 37. inquit, est perpetrata mala plangere, & plā genda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat aut ignorat. Cauere insuper sibi debet eiusmodi, ne hinc sibi vanam hominum laudem aucupetur: sed contra potius donum hoc abscondere debet, & in abdito lachrymas suas expromere, vbi solus videt remunerator Deus. Nam vt fonti expedit vt per occultos meatus sub terra deducatur, quoties aliquo ducendus est, ita magnum præstatum subsidium purè expromendis lachrymis, si quis hęc gratiam abscondere studeat, & turbam defugiens, tam corpore quam animo, in sua se se contineat vnitate: iuxta illud Iesaiæ. Ies. 22. 29. Recedite à me: amarè flebo. Præpediri quoq; imo nunquam etiam tolli consuevit hic spiritualium lachrymarum fons per nimias occupationes, per quæ turbulentos secularium negotiorum tumultus, dum quis ita cor suum eiusmodi turbis inuoluit, vt interim adsurgere nequeat ad contemplandas res diuinas. Tum enim id illi contingit quod fontibus consuevit, quibus suus præpeditur fluxus, aut obturatur vena. Hęc de lachrymarum gratia, dignitate, & efficacia dicta sint:

L iij      quæ

DE TRIBVS PARTIBVS

quæ sane gratia homini ea rectè vrenti ma-  
gnum adfert bonum. Quanquam interim  
nec despondere animum, nec nimia debet  
mœstitudine sauciari, cui forte hoc donum  
consequi datum non est: maximè cum De-  
us cor hominis intueatur magis, quam ex-  
ternum fluxum oculorum, vtpote qui ple-  
runque vnicam lachrymulam gratiorem  
habeat ex sincero amore erumpentē, quā  
centum alias, ex modica quadam aut nulla  
contritione promanantes. Quam ob rem  
quisquis vera percellitur commissorum su-  
orum contritione, cum certo proposito nul-  
la vnquam alia deinceps perpetrandi, nihil  
addubitet præsto sibi iam esse diuinam in-  
dulgentiam. Nam vt Climacus ait. Ideo  
quibusdam non datur hoc donum, vt ex-  
ius priuatione affligant seipso cum suspi-  
rijs & doloribus & tristitia mentali, quæ lo-  
cum suppleant lachrymarum, sine periculo  
inanis gloriæ. Non parum enim confert  
ad depellendam animi plus satis sibi placē-  
tis arrogantiam, si quis tanto sese dono co-  
gitet destitutum, quod tam est efficax ad ab-  
luendas animæ sordes: ad animum homi-  
nis subleuandum & consolandum: ad im-  
petrandum quicquid à Deo est ambiendū.

Ad

Cli. gra. 7.

Huc vsq; il-  
lo.

Ad hæc per talem sui deiectionem, & Deo reddetur gratus, & ipse secum aget securus.

Quod confessio necessaria sit ad salutem, quodq; laudabile sit, si generalis fiat confessio ab iis, qui novum aliquod genus vitæ subsunt.

Cap. 19.

**Q**Vando iam de prima egimus poenitentiae parte, quæ est contritio, superest ut hic de secunda eius parte, nempe confessione tractemus: sed paucis interim, tum quod varij passim circumferantur libelli hac de re accuratè tractantes: tum quod nos etiam plenius de cordis contritione egerimus, quæ est poenitentiae pars præcipua, & efficax, ad recte peragendam confessionem subsidium. Proinde quisquis iuxta præmissam traditionem primum in studio parandæ & exercendæ veræ de peccatis compunctionis, gnauiter fuerit versatus, non perinde difficile illi fuerit sua peccata confiteri. Nam quod quis confiteri erubescit, aut ex rubore

L iij non



DE TRIBVS PARTIBVS  
nonnulla subticet: item quòd pleriq; sua cri-  
mina nec retinere, nec satis dilucidè possunt  
explicare, potissimum ex defectu contingit  
veræ contritionis: quod videlicet sua crimi-  
na iusta trutina non expenderint, neq; ex  
animo vt supra docuimus discusserint, què  
admodum id fieri re vera necessum est. Vt  
ergo de confessione nonnihil loquamur, in  
primis scièdum atq; adeo etiam credendū,  
nullum omnino crimen letale remitti, nisi  
sacerdoti potestatem habenti cum cōtritio-  
ne confessum: sicuti semper tenuit & docuit  
Ecclesia, à suo exordio in hunc vsq; diem:  
id quod abundè multis probari potest exem-  
plis: in quibus deprehendimus plerosq; in-  
baratrum esse detrusos, propterea quod fla-  
gitium vnum aliquod confiteri detrectauer-  
int, quum tamen viderentur homines ger-  
manè christiani ac sanctimonia conspicui.  
Alios præterea legimus absq; confessione  
aut sine legitima confessione è viuis subla-  
tos, meritis ac interuentionibus sanctorum  
quorundam vitæ fuisse restitutos ad perfe-  
ctè peragendam cōfessionem, ac deinde in  
domino rursus obiuisse. Quis iam ita cæ-  
cutiat, qui ex his non videat, quam exactè  
Deus hanc confessionem exposcat, sine qua  
crimina ipsa abolere non vult, quum tamen

ea

ea aboleri misericorditer ordinari? Omit-  
 to quomodo sapius deprehensum sit nec  
 impios spiritus latere confessionis huius ef-  
 ficaciam: quum frequenter magnis conati-  
 bus per immissum hominibus timorem pu-  
 dorem aut desperationem contenderint cō-  
 fessionem impedire, & confitentes ipsos spi-  
 ritualiter mutos reddere, quemadmodum  
 id bene nobis demoniacus ille à Christo cu Mat. 12. 60  
 ratur insinuat, quē dæmon surdū reddiderat  
 & cæcū & mutū. Vnde pulchrè beatus Au-  
 gustinus, nos adhortans, ait. Nolite timere Aug. ser. ad  
 peccata confiteri fratres, nā illud quod per fratres in  
 confessionē scio, minus scio quā illud quod ere. 30.  
 nescio. Cur confiteri times peccata. Pecca-  
 tor est qui audit peccata sicut & tu, & for-  
 sitan maior. Homo est, nihil differt à me:  
 nihil alienum habet à me. Cur ergo times  
 o homo peccator, homini peccatori confite-  
 ri? Elige quod vis, si non confessus lates, Huc vsq; ill  
 inconfessus damnaberis. Aperi ergo o pec- le.  
 cator os tuum in confessione, ne vrgeat su- Psal. 62.  
 per te puteus barathri os suum in morte.  
 Hæc ideo commemoro quòd hodie pleri-  
 que reperiantur homines malè sani, qui cō-  
 fessionem ipsam explodere moliantur, asse-  
 rentes constitutionem esse humanam recēs  
 excogitatam. O callidum diaboli commen-  
 tum,

DE TRIBVS PARTIBVS

tum, o sacrilegam superborum hominum  
 versutiam. Afferere audent confessionem  
 esse nouam inuentionem, cum tamen Chri-  
 stus ipse suis dixerit apostolis, & apostolo-  
 rum successoribus. Quorum remisistis pec-  
 cata remittuntur eis. Et rursus. Quaecunq;  
 alligaueritis super terram, erunt ligata &  
 in caelo: quod sane sacerdotes ipsi praestare  
 nequeunt, nisi quae liganda ad poenitentiam  
 sunt, & quae contra soluenda, primum per  
 confessionem cognouerint. Verum quan-  
 do hoc hominum genus plerunq; adeo ex-  
 caecatum est, vt nihil velit intelligere: &  
 rursus adeo arrogans, vt nihil velit audire  
 nisi quod ipsi est persuasum, animus non est,  
 prolixius aduersus eiusmodi contendere:  
 Non enim (inquit sapiens) recipit stultus  
 verba prudentiae, nisi ea dixeris quae versan-  
 tur in corde eius. Caeterum beneuolis chri-  
 stianis illud habeatur pro indubitato, con-  
 fessionem in ecclesia fuisse ab ipsius exor-  
 dio, vt liquere potest ex veterum scripto-  
 rum monumentis, nominatim Dionisij, be-  
 ati Pauli discipuli, & beati antistitis ac mar-  
 tyris Cypriani, qui paulo post ducentos a  
 Christo passo annos claruit. Hinc ergo ma-  
 nifeste falsum deprehenditur, confessionem  
 nouum esse inuentum cupidorum sacerdo-  
 tum.

1<sup>o</sup> Jan. 20. c.

Mat. 18. c.

1<sup>o</sup> d. 21. 21. 17

1<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> 17. 21. 17

Pro. 12. c.

1<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> 17. 21. 17

1<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> 17. 21. 17

rum. Adde quod nulla vsquam reperiantur decreta, in quibus confessio ipsa legatur instituta, vt vel hinc argui possit, semper in vniuersali ecclesia ab ipsis apostolorum tēporibus confessionem fuisse vsitatam. Sed & si donetur non ab ipso Christo dū in terris ageret, sed ab apostolis aut alijs ecclesiæ præsidibus ipsam esse indictam, non minori tñ religione obseruari debet, quam si ipsius esset Dñi ore indicta: maxime cū ipse pollicitus sit multa se tandem per spiritum sanctum referaturum discipulis, quæ per se ipse tradere propter eorum imbecillitatē nolebat: deinde etiam quum eisdem potestatem contulerit ligandi atq; soluendi, quæ ligatio atq; solutio non modo de condonatione peccatorum, verum etiam de obligatione bonarum constitutionum ab ipsis ordinarum intelligenda est, quibus ecclesiæ primates obligare, & ab eisdem absolueri homines possunt prout visum fuerit expedire. Quod Christus etiam per illud confirmauit quod dixit. Qui vos audit, me audit Luc. 10. 6. & qui vos spernit me spernit. Liqueat ergo ecclesiæ præsidibus potestatem à Deo esse traditam leges condendi, atque etiam abrogandi, sicut ipsis visum fuerit expedire. Quas sane leges qui contemnit, non hominem contemnit, sed eum, qui talē homini

DE TRIBVS PARTIBVS

dedit potestatem. Exemplum sumi potest ab ipso Imperatore, qui non modo per se nouas leges in sua ditione præscribere, & veteres potest abrogare in Reipublicæ cōmodum, verum etiam per suos commissarios & cancellarios vnâ cum concilio, quibus auctoritatem confert, vt quicquid statuunt aut decernunt, non secus ratum habeatur, quam si ab ipso esset decretum Imperatore. Quare non iniuria dicti cancellarij seu præfecti vna cum suo concilio seu magistratum quippiam mandant, statuunt, aut decernunt Cæsariæ idipsum Maiestati adscribunt, quæ quanquam corporali illis non adsit presentia, adest tamen auctoritate. Idem sentiendum de diuina maiestate & Ecclesiæ præsidibus, quibus Deus summam præstari vult reuerentiam atq; obedientiam, veluti diuina vtentibus potestate. Hac de re sermonem protulit notatu dignum beatus Bernardus, ita dicens. Quicquid homo potestatem habens à Deo, præcipit, quod non est Deo cōtrarium, non aliter accipiendum est, quam si à Deo esset mandatum. Quod si vero qui his refragentur, nolim cum eiusmodi contendere, quippe qui habeam illos iuxta præceptum Euāgelicum Matthæi capite, decimo octauo, pro ethnicis & publicanis. Vnde de neq;

er.

3. 31. 31. 1

de neq; ijs hæc ipsa coacernamus aut scribimus, sed beneuolis duntaxat & modestis ecclesie filijs, qui humiliter obseruant & credunt, quæ seruanda & credenda sancta precipit ecclesia, siue ea scripturis aut rationibus doceat, siue non. Hi ergo sciant & credant confessionem ad letalia crimina abolenda (si fiat vt oportet) necessariam, quod ad venialia vero attinet apprimè esse vtilè & salutarem. Et ideo quisquis se totum cupit conuertere ad Deum, & à mundana vita transire vult ad vitam spiritualem, aut à scelerosa ad vitam sanctam, consultum illi fuerit si tum confessionem sibi renouet omnium totius ante actæ vitæ commissorum, quæ verisimiliter credit esse letalia, sicuti id consuetudo habet tam in ordine Carthusianorum, quam in alijs plerisq; vitæ institutis. Quæ quidem consuetudo commendabilis est certis de causis. In primis ratio ipsa id postulare videtur, vt qui nouam cupit apprehendere vitam, pœnitentiam acturus de tota sua vita præterita, non modo per contritionem deploret transactæ vitæ suæ indignitatem, verum etiam agnoscat per generalem confessionem, quo videlicet per erubescentiam tanquam per opus summæ humilitatis perfectius à vitijs omnibus expurgetur.

Aug. lib. de  
 ve. & fal.  
 pcc. cap. 10

getur. Nam vt beatus ait Augustinus. Quā  
 to peccator pluribus cōfiteatur, in spe veniæ  
 turpitudinem criminis, tanto facilius conse-  
 quitur misericordiam remissionis. Deinde  
 quoniam pleriq; agitari consueuerunt mo-  
 lestis quibusdam conscientiaë scrupis, quib.  
 mirum in modum inquietatur mentis tran-  
 quillitas, impeditur deuotionis gratia, &  
 spiritualis profectus retardatur, dum vide-  
 licet peccator sibi metuit, ne olim in sua iu-  
 uenta parum syncerè sit confessus: quæ sa-  
 nè inquietudo multis contingit, propterea  
 quòd iuniores in adolescentiaë suæ flore, &  
 mundi huius agentes voluptatibus, à cōfese-  
 sione germanè peragenda præpediri con-  
 sueuerint, pudore, ignauia, aut defectu con-  
 tritionis & discussionis: ideo consultum fu-  
 erit pœnitentiæ perfectionem resarcire at-  
 que redintegrare. Contingit ad hæc non ra-  
 ro quibusdam in confessarios incidere in in-  
 struendis confessoribus parum peritos, pa-  
 rumq; sedulos, vt omnino satius sit confes-  
 sionem apud eruditorem aliquem resume-  
 re. Quanquam interim nemo hic plus iusto  
 anxari debet, puiippe qui non ignorare de-  
 beat generalem hanc confessionem appri-  
 mè quidem esse vtilem, attamen non pror-  
 sus necessariam, nisi forte de confessione

non

non integrè facta & non repetita certo constet, aut aliquid subsit certæ rationis.

Quòd confessio debeat esse aperta, humilis,  
& verecunda, ita tamen vt nihil præ verecundia reticeatur. Cap. 20.

**A**D confessionem certæ quædam requiruntur conditiones: quarum aliæ quidem necessariae, aliæ accommodæ sunt ad ipsam dignè peragendam. Prima est, quod confessio debeat esse aperta, *Aperta.* non amictu aliquo verborum obumbrata: quo peccata ipsa leuiora videri possint, quàm re vera sint. Sunt enim nonnulli qui confitentur quidem, sed interim quantum possunt eleuant sua crimina, asserentes sese non perinde prauo affectu ea commisisse, etiam si alioqui supra modum graua sint: aut inuitos eo fuisse pertractos: aut per imbecillitatem lapsos, aut violentia tentationis se fuisse deuictos. Imo quod deterius est, nonnulli Deum ipsum incusant, dicentes se ab ipso fuisse destitutos, & ipsius ope non fuisse adiutos. At qui rectè vult confiteri, seipsum accuset oportet, nemo enim inuitus cogit, ad consentiendum iniquitati. Nam et inō nunquam ad peccandum rapiamur violentia quadam



DE TRIBVS PARTIBVS

quadam cupidinis, timoris, supplicij, aut rei cuiusuis alterius, nobis tamen id potissimū imputandum est, qui sollicitationibus non reluctamur, qui strenui nō sumus in studio pietatis, qui diuinam opem precum instantia non imploramus, quæ nos aduersus omnes ingruentium tentationum procellas tā internas quam externas, munire poterat & tueri. Decet quoq; in confidendo humileis exhibere corporis gestus, genuflexionem, manuum coniugationem, humilem & verecū dum enunciandi modum, sumpto in omnibus & ob oculos posito exēplo Christi, nostri gratia magna cum humilitate constituti pro tribunalibus Pilati. Nam vt beatus ait Augustinus, non aliās citius à diabolo superamur, quam dum illi per superbiam similes sumus, neq; aliās citius illū deijcimus, quam dum per humilitatem dominū Iesum imitamur, neq; vnquam inimicum nostrum magis affligimus, quam dū vulnera animarum per confessionem & contritionem sanamus. Ideo autem verecundā decet esse confessionem, quia latrones facti sumus dū animas nostras aut aliorum per peccatū occidimus. Quamobrē æquum est, vt ad sacerdotem veluti ad agentem vice Dei iudicē accedamus, cū rubore & humilitate ipsius nos prouol-

**Humilis**

**Ang.**

**Verecūda.**

prouolentes pedibus, sicuti rei facere con-  
 sueverunt ante iudicem quem sibi cupi-  
 unt esse propitiū: deinde etiam quia pudor  
 ipse in confessione meritorius est, atque ad  
 tollendam pœnā efficax. Quomodo enim  
 (inquit Augustinus) verecundia magna est  
 pœna, qui erubescit pro Christo fit dignus  
 misericordia. Bernardus quoq; ideo pecca-  
 toribus præceptam esse confessionem tra-  
 dit, ut pudor illis loco pœnæ esset. Et re-  
 vera si exactè trutinemus vitæ nostræ igna-  
 viam & indignitatem, eamq; ante oculos  
 diuinæ maiestatis & apud ipsius vicariū ape-  
 riamus multas & magnas reperiemus ratio-  
 nes, quare merito debeamus erubescere.  
 Nam si laici suam expendant vitam, depre-  
 hendent se ne vnā quidem horam singulis  
 diebus impendisse obsequio diuino, quū  
 tamen christianissimi ratione omni deberēt  
 hora animo Deo esse dediti: quod sanè fa-  
 ctu haud esset difficile, si modo huic sese ex-  
 exercitio vellent accommodare, & si tantum  
 adesset pietatis studium quantum adesset pa-  
 randæ rei temporalis. Longè tamen maio-  
 res habent iusti ruboris causas monachi illi,  
 qui quū pro cotidiano suo exercitio sedu-  
 lo Deo obsequi elegerint ac deuouerint, in  
 Dei obsequio remissius agunt, vagi cogita-  
 tionibus

Aug de ve.  
 & fal. pœ. ca  
 10  
 Ber.

M

tionibus

DE TRIBVS PARTIBVS.

tionibus, verbi dissoluti ac futiles, actionibus inconstantes & inutiles, moribus incircuncisi: vt metuendum illis sit, ne aliquando audituri sint exprobrationem illam diuinam. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Satius sanè nobis esset si eundem Dominum audiremus ita admonentem. Tu confundere, & porta ignominiam tuam. Notanter hic dicit, porta ignominiam tuam, quum multi reperiantur, qui tam sunt ruboris impatiētes, vt erubescerentiam suam portare omnino nec velint, nec possint: eoq; ignominiam suam apud sacerdotē in cōfessione cælant, nō exactè omnia sua crimina pandentes, nec penitus explicantes ipsorum grauitatem & turpitudinem. Quod sanè ingens est malum, atque adeo magna insipientia, pro modica videlicet ignominia vitanda, se ipsum tradere ignominia & damnationi perpetua: veluti si æger quispiam cælanda sua detegere medico nollet, atque hinc se in vitæ suæ discrimen conijceret. Vnde Christus. Qui me inquit erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet quum venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum angelorum. Hoc est, qui hic quippiam iuxta Dei voluntatem agere, aut vitare

Ier. 3. b.

Ezec. 16. f.

Luc. 9. c.

virare erubescit apud homines, tandem erubescere cogetur coram Deo & omnibus sanctis. Attamen si quis à natura ita impotenti quodam pudoris morbo laboret vt in explicandis suis commissis hæreat, aut memoria seu intellectu cæcutiat, aut titubet, is eiusmodi morbum suum confessario exponet, succurri sibi postulans per sacerdotis inquisitiones. Tali enim voto quisquis ad confessionem accedit: & in eo perstat affectu, vt sacerdotem relinquere nolit, nisi prius omnibus peccatis plenè enunciat, hic sanè quod sat est præstat, huiusq; magis affectum aspicit Dominus quam effectum. Nemo insuper ob ruborem euitandum notos debet sacerdotes defugere, (sicuti quibusdam mos ignotos quarere confessarios, aut in latibulis, seu tenebris clanculū confiteri, ne quo pacto possint agnosci) alioqui magnam sibi iacturam fecerit in laxando aut exoluendo supplicio peccatis ipsis commérito. Quo enim quis minus pudet, hoc minus sua confessione meretur. Quandoquidem vt culpa remittatur, tanto tamē atrocior exigetur pœna, quāto erubescencia fuerit leuior. Adde quòd metuentū sit, ne eiusmodi necdum plenū conceperit suorum admissorum odium, sed animo

M ij                    adhuc

DE TRIBVS PARTIBVS.

adhuc sit multum superbo, utpote qui ferre nec possit nec velit, ut apud notum sibi sacerdotem erubesceret. Quod si vero eo sit animo, ut citius confessionem omissurus sit, quàm confiteri sacerdoti cognito, huius confessio quam apud ignotum facit nulla est.

Quòd confessio fieri debeat purè & ex sincero erga Deū amore, & ex vera de peccatis contritione: quòdque confessarij quærendi sint maxime idonei. Cap. 21.

**N**Ecesse est præterea confessionem esse puram & sinceram, ut scilicet sub ipsa ea tantū tractentur, quæ ipsam & confitentis conscientiam concernunt, non autem extranea, nec ad alienam conscientiam pertinentia: nam hoc pacto confessio ipsa occasionem præstare posset delinquendi. Debet quoque & intentio esse sincera, ut confessio ex puro & sincero fiat erga Deum amore: quo videlicet gratū ei præstetur obsequiū, & eidem satisfiat. Nec enim coacta esse debet confessio aut consuetudinaria, aut facta, sed recta intentione pura, cum certo proposito relinquendi peccata, ne de nobis dicat Dominus. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Dominus enim noster animum magis spectat & intentionis nostræ scopum, quam externam actionem.

Mat. 23. 2. &  
Isa. 29. d.

actionem. Sunt namque qui statis confitentur temporibus, sed consuetudine ducti potius quam pietate aut affectu seu voto vitæ melioris. Horum autem nonnulli certa quadam vsq; vtuntur confitendi forma, eadem semper repetentes verba, non secus quam si Pater noster recitarent, aut Ave maria: hi vt timendum est raro confitentur sincerè: sed aut plus aliquid aut minus quam commiserint agnoscunt. Verisimile etiam est huiuscemodi nunquam aut raro conscientiam suam discutere, sed ex arida duntaxat confiteri consuetudine. Alij ex more confitentur, atq; adeo citra pudorem & modestiam: & vt ait Bernardus, confitendo quasi fabulam enarrant suorum historiam peccatorum, ægritudines animæ sine confusione diuinerant: & penè sine pœnitentia, & sine affectu doloris: Et ideo ex sua confessione nullam recipiunt consolationem conscientia. Nam qui motum aliquem sentit pœnitentia, facile mouetur ad luctum & fletum. Præterea quisquis bene confiteri desiderat, maximè qui grauioribus onustus est criminibus, circumspectus sit oportet in deligendo sacerdote digno & idoneo, qui & rectè instruere & confitentem possit absolueret: sicut beatus

Vide tract.  
Ber. ad scri-  
ptū de vita  
solicitaria.  
non procul  
a principio  
Huc vsque  
ille.

M iij tradit

DE TRIBVS PARTIBVS

Au. de ve.  
& fal. pœn.  
c. 10.

tradit. Augustinus libro de pœnitentia  
ita scribens . Qui confiteri vult pecca-  
ta , vt inueniat gratiam quærat sacerdo-  
tem scientem ligare & soluere : ne quum  
negligens circa se extiterit negligatur ab  
illo , qui eum misericorditer monet &  
petit ne ambo in foueam cadant , quam  
stultus euitare noluit : quemadmodum fe-  
re vlu venire consuevit dum cæcus cæ-  
co ducatum præstat . Quod haud du-  
biè contingit , quoties confessarij pecca-  
tores ipsos non satis diligenti cura per-  
uestigant : quoties crimina ipsa quum gra-  
uia sint non satis ponderant : quoties con-  
fidentes non erudiunt , corripunt , aut so-  
lantur , prout peccatoris conditio expo-  
stulat : quoties offensarum pensationem  
non iniungunt pro ratione criminum : quo  
plerunque fit , vt peccatores sua commis-  
sa minus æstiment , citiusque in eadem re-  
labantur , propterea videlicet quod con-  
fessarij non perinde magni ea æstimaue-  
runt , iuxta vetus illud vulgo iactatum  
proverbium , Facilitas veniæ incentiuum  
tribuit delinquendi . Proinde quisquis  
suae habet rationem salutis sacerdotem  
quærat inter cæteros peritorem & reli-  
giosorem , aut certè benè idoneum , ean-  
dem

Am. in psa.  
vs. fer. 8.

dem hic adhibens curam quam corporali aliquo morbo laborantes solent, qui exercitatiores peritioresque medicos consulunt potius quam imperitiores. Natus autem talem confessarium peccator totum sese ipsius committere debet arbitrio atque consilio, paratus pro abolendis peccatis omnia ipsius imperia & consilia non secus atque Dei vicarij adimplere. Illud etiam summopere probandum tanquam pium ac salutare, si qui idoneum natus est confessarium non facile illum mutet, nisi magna aliqua cogente ratione. Ita enim confessarius tuus certiores habiturus est tui notionem, & securius tibi poterit auxiliari atque consulere: atque adeo tu ipse ob maiorem erubescenciam amplius poteris mereri. Natura enim comparatum est, vt vehementiore rubore perfundamur, quoties post superiorem confessionem non modo non correcti verum etiam in pristina aut etiam in terriora vitia relapsi eidem cōfitemur sacerdoti à quo nuper fuimus correpti. Tum enim nonnulli alium quempiam quærere consueverunt, cui compertum non sit idem crimen ab ipsis pluries fuisse commissum: atque ita non

M iij

perinde



## DE TRIBVS PARTIBVS

perinde de illo pudeant. Verum eiusmodi planè seipfos fallunt, quum tanto minus sua confessione mereantur, quanto minus erubescunt. Adde qd' quanto sacerdos enormitatē criminū min⁹ habet exploratā, tātō min⁹ potest opitulari atq; cōsulere. Quare illud maximè est cōsulendū vtpote ad ipsius cōfessionis pertinens integritatē, vt quisq; plenè certiozem reddat suū confessariū, de sua cōuersatione statu & persona: & si quod est letale crimen, in quod post acceptam ipsius in confessione absolutionem pluries relapsus sit, hoc ipsum non cælet, sed potius ingenuè fateatur toties iam idem se esse cōfessum, nec aliquam sequutam esse dicti criminis vel emendam vel fugam. Probabile autem est, dum quis sic relapsus est, ipsum parum sincerè peregisse superiores suas cōfessiones: vtpote quod parum discussus ad tanti sacramenti susceptionē accesserit: ad quā si accessisset vt oportet, sensisset haud dubiè seipsum propter nouæ gratiæ infusionē non paulo firmiorem, atq; in vitanda ipsius criminis occasione non paulo cautiorem diligentiozemque. Verum quum post sacri mysterij susceptionem non minus se sentiat ad maliciam perpetranda paratum, expositum & procliuē quam

quam ante, verisimile non est illum aliquā consequutum esse gratiam: quinimo probabile est parum dignè illum propter culpā aliquam tantæ rei mysterium pertractasse.

Quòd confessio debeat esse frequens, & quibus expediat confessionem repetere, & quibus non. Ca. 22.

**C**Prima quoq; confessionis cōditio est, si frequens sit, & si sæpe ad hanc peragendam se homo coaptet, maximè sub præcipuas quasque festiuitates: & mox ubi tetrius aliquod vitium deprehenderit se commisisse. Nam quemadmodum in corporalibus omnibus morbis medici suadent obstandum principiis, ita quoq; in peccatis animæ, morbis ac vulneribus faciendum: quæ longè facilius abdicantur, deplorantur, & condonantur, si maturius adhibeatur contritionis, confessionis, & pœnitentiæ remedium, quam si serius. De cotidianis autē offensis cotidie confiteri summopere est laudandum. In confessio quidem est ecclesiæ auctoritatem non iubere nisi semel confiteri annuatim tempore videlicet celebritatis paschalis: verum qui hoc duntaxat obseruantes nullis vnquam confitentur temporibus alijs, vereor ne magis necessitate & humano metu aut pndore coacti confiteantur, quam ex diuino amore: atq; ita confessio ipsa aut nullius

nullius

## DE TRIBVS PARTIBVS

nullius omnino aut certè exigui præcij est.  
 Præterea quum pleriq; parū firma sint me-  
 moria: & multi etiā in vita sua varijs agitē-  
 tur tumultibus negociorum: atq; a deo mul-  
 ta identidem committant flagitia, huiusmo-  
 di necessaria omnino est frequens cōfessio,  
 modo confiteri cupiant syncerè: nisi forte  
 sua commissa fideli possint memoria retine-  
 re propter cotidianā vitæ suæ discussionē,  
 aut nisi diligenter ea studeant literis cōmit-  
 tere. Ad hæc quū vita ipsa omnibus sit in-  
 certa (videmus enim quomodo multi subit-  
 o corripantur morbis, & nonnulli etiam  
 imparati hinc rapiantur morte inexpectata)  
 quum morbi plerunq; tam sint inclemētes  
 vt laborantes non sinant nec sua malefacta  
 in memoriam reuocare, nec de commissis  
 dolere, nec syncerè confiteri, nec condignā  
 pœnitētiā atq; satisfactionem subire: de-  
 niq; quum pœnitētia in egrotatione facta  
 plerunq; magis ex mortis timore proficisca-  
 tur quam ex desiderio salutis, aut amore di-  
 uino, longe consultissimum fuerit sapius  
 confiteri: & confessionem ipsam nunquam  
 diutius differre, maximè dum quis crimini  
 alicui se agnoscit obnoxium, quod certo  
 aut probabiliter nouit esse mortale. Atqui  
 non iniuria credi potest ideo dominum no-  
 strum

strum in nonnullos inexpectatæ mortis ani-  
 maduertere vltione, quo vel sic efficacius  
 vnumquemque admoneret prospicientiæ,  
 & subeundæ, dum tempus & locus suppe-  
 tit, poenitentia. Nam sicuti beatus scribit  
 Augustinus. Ille qui tibi per patientiam pro-  
 misit indulgentiam: non promisit tibi etiam  
 prolixiorẽ vitam. Promisit enim Deus  
 veniam pœnitenti, sed non promisit vsque  
 in crastinum differenti. Sed hic iam quari  
 potest an expediens sit & laudabile, si quis  
 vnum atq; idem peccatum confiteatur sæ-  
 pius, idq; vel vni vel diuersis: sicuti reperi-  
 untur nonnulli qui hac in re supra modum  
 anxij & nunquã quieti nullũ faciunt cõfite-  
 di nec modũ nec finẽ. Hic sciendũ, quod ad  
 eos attinet, qui eius sunt cõditionis, vt mo-  
 lesta quadam diuexentur reperendæ con-  
 fessionis libidine, semper sibi persuadentes  
 nunquam se rite esse confessos, repetitio-  
 nem confessionis non esse suadendam, pro-  
 pterea quod qui hoc vitio laborant, fere  
 per eiusmodi confessionem non curentur.  
 Illud autem maxime his suadendum est, vt  
 peritũ sibi deligãt cõfessariũ, & eidẽ vni ac  
 soli adhereãt, totos sese ipsius consilio atq;  
 arbitrio cũ humilitate cõmittẽtes: & expos-  
 itis illi oib<sup>9</sup> suis vexationib<sup>9</sup>, plene in ipsius  
 fidant

Au. trac. in  
 Iohã. 33. d.  
 Idẽ ser. ad  
 fr. in her. 30

DE TRIBVS PARTIBVS

fidant & conquiescant circa hanc rem consilijs & consolationibus. Per eiusmodi autē subiectionem & humilem obtemperatiam, plus inueniēt tranquillitatis & quietis, atq; per centenas confessiones. Religio insuper illis sit suam potius sequi velle sententiam, aut consilium quam confessarij: atq; adeo pro detestanda arrogantia haberi debet suum sensum præferre sensui vicarij Christi. Porro quod ad alios attinet, trifariam potest confessio pluribus reddita esse utilis. Primum propter maiorem erubescenciam bonam dependit partem poenitentiaē. Secūdo expedit nonnunquam idem crimen pluribus confiteri ad requirendum consilium. Tertio ad habendum plurium subsidium, & ad impetrandas diuersorum sacerdotum interpellationes. Quippe quum sacerdotes sint inter Deum & hominem mediatores, iubetur peccator quisq; illis cum humilitate sua commissa detegere, vt ipsi pro peccatoribus dignentur intercedere, iuxta illud Iacobi. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Unde liquet quod sacerdos quisq; peccatoris excipiens confessionem, peculiariter obligatus sit pro ipso interpellare. Proinde quousquis confitetur pluribus, tāto sibi plures parat ac

Iac. 5. c.

rat ac deuincit sui criminis deprecatores. Hæc de confessione breuiter dicta sint; de qua & alia multa tradi poterant, nisi varij vbiq; extarent libelli copiosissime hoc argumentum tractantes. Hac igitur superse- dentes, ad tertiam properamus poenitentiæ partem.

Quòd Deus de commissis omnibus satisfactionem exigat, etiam si nulli legatur satisfactio imposita à Chri- sto. Cap. 23.

**T**ertia poenitentiæ pars satisfactio est, quæ non est aliud quam afflictio quæ- dam, seu labor quo homo crasso suo affectui molestiam adfert ad satisfaciendū iustitiæ diuinæ, quæ nullum omnino pecca- tum decreuit ita prorsus abolere, nisi pecca- tor ipse tantū subeat, ferat, aut sibi irroget doloris, quātū ex suis cōmissis accepit pra- uæ voluptatis: aut quantum per offensas p- ximo intulit molestiæ. Nullam enim offen- sam patitur diuina iustitia esse inultam. Præstatur autem hæc satisfactio per varia pietatis opera, cuiusmodi sunt ieiuniū, pre- catio, elemosyna, peregrinatio, aduersæ valetudinis, algoris, æstus, & cæterarū mo- lestiarum vltro à nobis ad Dei gloriam, & ad emendanda peccata susceptarum volun- taria permissio. Cæterū quando nemo mor- talium

talium certo exploratū habere potest, quan-  
 tum afflictionis Deus exigat pro quolibet  
 commisso, (grauitatem enim peccati solus  
 habet Deus perspectam) haudquaquam sibi  
 quisquam placere debet de modica aliqua  
 pœnitentia pro grauibus commissis: quini-  
 mo si pœnitentiarius ipse in designanda pœ-  
 nitentia fuerit indulgentior, tenebitur pec-  
 cator, aut petere ab illo, aut per se vltro sibi  
 assumere seueriorem, alioqui tandē aut per  
 ægrotationē aut per aliam aliquam vexati-  
 onem, aut certe per ignem expurgatorium,  
 quæ est satisfactio omnium atrocissima, da-  
 turus pœnas longè duriores: quandoquidē  
 id ratio expostulat diuinæ æquitatis. Debi-  
 tor si æs alienum non dissoluat volens, di-  
 gnus est qui maiori suo malo legum rigore  
 compellatur ad solutionem. Sed hic quæret  
 fortasse aliquis. Cuinam rationi nititur, aut  
 quo scripturæ loco comprobari potest, deū  
 à nobis exigere pœnitentiæ satisfactionem,  
 maximè quum peccata laxari constet, vel  
 per solam cordis contritionem? Planè enim  
 aduersari videtur immensæ Dei misericor-  
 diæ, quod peccata plenè non eluantur, nisi  
 congrua accedat pœnæ alicuius satisfactio:  
 refragari videtur operibus Christi per sacra  
 nobis euangelia proditis, vbi quū ipse pec-  
 catoribus

catoribus cōmissa laxaret, nulli vnquam satisfactionem indixisse, sed duntaxat ne amplius peccarent, imperasse. Matthæum, Zachæum, Magdalenam, mulierem in adultério deprehensam, & alios complures veniam consequutos legimus: satisfactionem illis indictam non legimus. His respondere, extra nostram institutum est: neque enim incredulos hic erudiendos aut reuincendos suscepimus, de catholica ecclesiæ fide dubitantes, & errantes, (quorum sanè hodie magna vbique copia est) maximè quum quotidie experiamur, quam nihil apud eiusmodi, disputationibus, rationibus & scripturis proficiatur, quod fere sint in suis erroribus obcæcati, & à Deo prorsus destituti: nihilominus tamen quo fideles ipsi magis in sua fide solidentur, aduertendum hoc loco mysticā scripturam multis in locis palam indicare Deum esse & iustum pariter & misericor-

Ioh. 5. c. & 8  
b.Psal. 24.  
Psal. 84.Aug. lib. de  
ve. & fal.  
p. 2. cap. 10.

Opus



## DE TRIBVS PARTIBVS

Opus enim est peccanti peccata dimittere, sed oportet vt iustus misereatur iuste. Oportet enim vt nō solū quid, sed in quo doleat peccator, consideret: si dignus est non dico iustitia, sed misericordia. Hoc idem vel maxime liquet in opere nostræ redemptionis. Opus enim visum fuisset inæstimabilis cuiusdam clementiæ, si (quod in diuina erat potestate) genus humanum redemisset, & vinculum illud perpetuæ damnationis dissoluisset citra passionem & mortem Christi Iesu: aut si (quod æque in Deo erat potestate) postea quam Christus per perfectā suam obedientiam & mortis tolerantiam, pro peccatoribus omnibus dependerat, omnes homines ad gloriam admisisset cœlestem, absq; omni hominum merito, labore, afflictione & morte: verum quia misericordia in Deo semper cum iustitia coniuncta est, diuinæ visum fuit voluntati, ne genus humanum secus diuinam assequeretur indulgentiam quam per mortem & diram afflictionem agni immaculati Christi Iesu: & ne quis omnino quamlibet fidelis & sanctus in regnum ingrederetur cœlesti Christi nobis morte reseratum, nisi prius proprię mortis tolerato supplicio: atq; ita vbiq; misericordia temperata cernitur æquitate iustitię.

Vnde

Vnde quemadmodū crimen omne fere cōmittitur tam per prauam animi voluntatē, quam per carnalem aliquam ab opere ipso proficiscentem voluptatem, ita & pœnitētia duabus rebus constet necesse est: nempe animi contritione, & corporali aliqua afflictione. Quod autem Deus vel pro laxatis criminibus talem requirat satisfactionem, non ex defectu diuinæ misericordiæ, sed pro ratione fit diuinę iustitię, quo videlicet etiam hæc elucescat, & eidē fiat satis. Quin etiam prudentia id diuina efflagitat, quæ non nisi per eiusmodi compensationē piacula decreuit abolere: quo videlicet mortales ita efficacius dehortarentur à flagitijs, si cognoscerent se haud fore impunitos. Vetus autem & protritum verbum est, Facilitas veniæ incitamentum tribuit delinquenti. Porro ad illud quod nonnulli obiiciunt, Christum ipsum nulli indixisse pœnitentiā dū in terris agens peccata condonaret, hinc arguentes nō aliam cuiquam indici debere admissorum pensationem, quā animi cōtritionē, & propositū deinceps peccata relinquendi, non ineptè responderi potest, quod Dominus noster discipulis respōdit beati Ioannis baptistæ, sciscitātibus quur ipsi & pharisei frequentius ieiunarēt, discipuli autē

Am. in p̄sa.  
118. ser. 8.

Mat. 9. b.

N Iesu

DE TRIBVS PARTIBVS

Iesu non item, ita dicens. Nunquid possunt filij sponsi lugere quam diu cum illis est spōsus? Venient autem dies quū auferetur ab eis sponsus & tunc ieiunabunt. Quibus verbis Dominus noster indicare voluit post mortem suam suos discipulos perfectē tandem à Spiritu sancto instructos longē seueriori viuendi ratione victuros, per ieiunia, & alia austerā opera, quæ ipse ab illis dum viueret non exegisset. In vita enim sua non omnia illis pandebat, sed neq; seueriora ab ipsis flagitabat, vtpote adhuc imbecillibus, sed distulit quædam opportunius tandem per Spiritū sanctū discipulis tradenda, quæ & ipsi quasi per manus traderent suis posteris: veluti de pœnitendi ratione, & alijs nō paucis. Secūdo respōderi potest quod Dominus noster ijs quibus ipse cōdonabat peccata tantam contulerit mentis compunctionem vt exteriori & ampliori pœnitētia nihil fuerit opus. Tertio responderi potest quod Christus quanquā peccatoribus nullā prescripserit pœnitentiæ satisfactionem verbis externē prolatis, hoc aut illud fieri iubētib; tacitē tamen intus ingesserit vel tunc vel certē tandē per Spiritū suum, quid pro condonatis etiā criminibus esset subeundū quemadmodū sanctissimus ille rex David,  
idem

idem & Christi typus & propheta præsi-  
gnavit, quauquã magna vsus sit in flagitio-  
sos quosdam clementia, dũ ipsi adhuc flore-  
ret ætas, veluti in impiũ illũ duorũ innocẽ-  
tiũ peremptorẽ Ioab: & rursus in iniquum  
illum regis à facie Absalom filij sui fugiẽtis  
exprobratorem: moriturus tamẽ eosdẽ per  
filiũ suum Salomonem iuxta impertitã ipsi  
à Deo sapientiam plectendos & affligẽdos  
mandauit, ne tantũ illorũ scelus maneret in  
ultũ: Non q; Dauid vir alioqui mitis vindi-  
candi dati sibi probri fuerit cupidus: sed q;  
moribundi iam conscientia testaretur tanta  
flagitia haudquaquam citra omnem pœni-  
tentiaẽ pensationem, correctionem & pœ-  
nam debere remitti: quare hoc ipsum velu-  
ti per testamenti obligationẽ adimplendũ  
commisit suo filio, vtpote agnosces se ea in  
re iustitiæ diuinæ deuinctũ. Ad hunc modũ  
& verus noster dauid Christus suis aposto-  
lis alijsque ecclesiæ præsidibus vicarijs suis  
in mādatis dedit ne ipsorũ malefacta sine-  
rẽt impunita, etiãsi propter cõtritionẽ prius  
essent condonata: & licet ipse nusquã in sua  
vita scribat à quoquã satisfactionẽ exegis-  
se: quippe q; hoc negocij iudicauerit potius  
cõmittendũ alijs. Idẽ hoc & ex facto quodã  
Mosi Dei & propheta & familiaris amici

Nij discere

2. Reg. 3. e.

2. Reg. 16. b.

3. Reg. 2. a. b.

DE TRIBVS PARTIBVS

discere licet: de quo scribitur, quòd quum  
 post conflatum & adoratum à populo isra-  
 helitico vitulum, Dominum pro impetran-  
 da tam detestandi cultus venia, interpellas-  
 set, tandemq; diuinam super hac re clemen-  
 tiam multa præcum instantia exorasset: nihi-  
 lominus tamen seuera adhuc punitione in  
 populum pro tam nefario vindicando cri-  
 mine animaduertit, viginti tribus hominũ  
 milibus crudeli cede peremptis. Quo per-  
 acto rursus nihilominus ad implorandam  
 diuinam clementiam est regressus: & po-  
 pulum excitans ad luctum, omnẽ iussit de-  
 ponere vestium ornatum, quo vel sic venia  
 impetraretur absoluta, hoc ipso indicans  
 perfectam commissorum veniam non im-  
 petrari sine magno negocio & nulla crimi-  
 na laxari debere citra aliquã animaduerso-  
 nem. In hoc autem opere Moses inter Deũ  
 & impiũ populum & fidelem præstitit in-  
 terpellatorẽ, & iustum pacis conciliatorẽ.  
 Apud dominum enim fideliter præcabatur  
 populi salutem, donec se intellexit auditũ:  
 apud populum vero causam agebat Do-  
 mini, verbo simul & facto illis manifestans  
 & quam grauiter altissimum offendissent,  
 & quòd tantum scelus haud quaquam de-  
 buerit relinqui impunitum: dum videlicet  
 tam

Exo. 32.

Exo. 32.

ram seuera animaduersione in populum est grassatus, ita & diuinæ æquitati satisfaciens, & simul populum à tali scelere rursus perpetrando deterrens.

Quod peccator quisq; dum in viuis est adniti debeat, vt pro ratione suorum criminum Deo satisfaciat. Cap. 24.

**Q**uando Dominus ita à nobis satisfactionē exposcit iuxta criminū immanitatē & multitudinē, omni cura aduigilare quisque debet, vt dum in viuis est, hanc satisfactionē per preces, per ieiunia, per eleemosynas, per afflictiones, per tolerantiam pudoris, damni, iniuriarum morborum, terrorum, & cæterorum omnium quæ Deo permittente mortalibus ingruunt malorum, possit præstare: potissimum tamen per condonationem offensarum. Nam inter cætera omnia hoc opus longè est ad eluenda & dissoluenda crimina efficacissimum: dum videlicet alienas offensas libenti animo citra omnem vindictæ cupiditatem & rancorem toleramus & condonamus. Quum ergo nos cõtingit à quopiã molestijs affici, lædi aut affligi, etiã si atrox nobis videatur fieri iniuria, patienti id debemus animo pro admissorum nostrorum expiatione, proq; facienda quam à nobis

Niñ Deus

DE TRIBVS PARTIBVS

Deus exposcit solutione tolerare : imitan-  
tes in hoc Dauidis exemplum, qui quum  
filium suum Absalom fugiens maledictis  
a.Reg.16.b. atque adeo lapidibus impeteretur ab im-  
pio quodam viro nomine Semei, & inter-  
rogaretur ipse Dauid à suis vellet ne de  
illo sumi vindictam, hoc fieri vetans itare-  
spondit. Quid mihi & vobis est filijs Sar-  
uia? Dimittite eum vt maledicat. Deus  
enim præcepit ei vt maledicat Dauid.  
Et quis est, qui audeat dicere, quare sic  
fecerit? Dimittite eum & maledicat iu-  
xta præceptum domini, si forte respiciat  
dominus afflictionem meam: & reddat  
mihi dominus bonum pro maledictione  
die hac hodierna. Sperabat enim rex pi-  
us afflictionem illam atque exprobratio-  
nem sibi in compensationem fore vete-  
rum suorum flagitiorum, ob quæ se inter-  
pretabatur à Domino merito affligi.  
Quæ etsi iamdadum essent per diuinam  
clementiam laxata, necdum tamen plenè  
erant iuxta diuinæ iustitiæ æquitatem pen-  
sata. Dico ergo summa omnibus opus  
esse cura atque sedulitate, quo ritè pos-  
sint Deo pro commissis satisfacere. Quæ  
sane cura nostris hisce temporibus longè  
debet

debet esse sollicitior quam fuerit olim, quando & ecclesiae praesides sanctiores prudentioresque, & subditi erant humiliores & obtemperantiores. Tum enim peccatoribus poenitentia praescribi consuevit iuxta quod postulabat delictorum enormitas & multitudo, nimirum seuera pariter & proluxa, sicuti palam iura testari possunt ecclesiastica. Pro vno enim peccato enormiore, quale est adulterium & latrocinium &cæ. poenitentia indicebatur duratura spacio septem annorum, certis interim designatis diebus, quibus ieiunandum & abstinendum erat ab usu carnum & vini aut aliorum. Quod si vero crimen fuisset enorme & cum hoc etiam publicum, magno cum delinquentis rubore poenitentia designabatur publicitus coram ecclesiae coetu praestanda, quemadmodum hodie delinquentes corrigunt iura imperialia, non sine ingenti ipsorum rubore. Tunc peccata laxabantur corrigebantur & abdicabantur longè quam hodie syncerius & verius: tunc rara admodum purgatorij ignis habebatur metio: sed nec passim audiebantur animæ in purgatorio detentæ per formidabiles apparitio-

N iij

nes mor-



DE TRIBVS PARTIBVS  
nes mortalium efflagitantes subsidiū, sicuti  
temporibus subsequētibvs, audite sunt: vt  
hinc probari possit longē quam hodie pau-  
ciores animas eo ablegari solitas. Dū enim  
se a mortalibus tuebantur criminibus, &  
sedulo studebant probam ducere vitam, fa-  
cile ignē euadebant purgatoriū, cotidianas  
offēsas cotidianis expiantes tū præcibus, tū  
alijsq; operibus: Aut si grauioribus fuisset  
vitijs obnoxij, dū ad correctiorem se vitam  
cupiebant transferre, talis indicebatur pœ-  
nitentia, quæ ad eluenda crimina erat quo-  
dammodo sufficiens, quando certē religio-  
so peragebatur affectu: atq; ita longē plu-  
res cruciatum illum euadebāt quam hodie,  
aut certē non perinde prolixo & cruciabili  
afficiebantur supplicio, atq; peccatores mo-  
dèrni, qui pro grauissimis offēsis vix leuē  
aliquam subeunt pœnitentiolam: & hinc  
plerunq; maximis obstricti debitis demi-  
grant, quæ tandem seuissimo coguntur sup-  
plicio diuinæ iustitiæ persoluere. Sed dix-  
erit iam hic fortasse aliquis. Qui sit ergo, vt  
pœnitentiarij & ecclesiæ præfecti tam sint  
hodie in præscribēdis pœnitentijs clemētes,  
vix habita ratiōe grauitatis ipsorū criminū,  
quū inclemētius peccatores ipsos ad penas  
mittant

mittant longè cruciabiliores? Hic respondent theologi, id ita fieri, & receptum esse ob magnam subditorum torporem & obstinationem, qui ægerrimè ad molestiorem aliquam pœnitentiam subeundam possunt adduci. Olim enim nonnulli etiam confiteri refugiebant seuerioris pœnitentiæ timore: atq; ita pleriq; dum propter metum eiusce modi confessionem aut procrastinarent aut omnino negligenter, hinc emigrabant citra beneficium absolutionis, quod animaduertentes ecclesiæ primates, pœnitentiæ præscriptiones committendas decreuerunt discretioni sacerdotum, qui iuxta pœnitentias indicerent iuxta confitentium qualitates vires & promptitudinem. Verum hæc res etiam multorum imperitorum sacerdotū incuria deducta est, vt vix iam vlla habeatur pœnitentiæ ratio. Plerunq; enim confessarij, quo confitentium sibi fauores concilient & ne ipsos offendant, talem præscribunt pœnitentiam, quæ ne leuissimis quidem offensis eluendis par sit, tantum abest vt par esse posset expiandis grauissimis. Ad hæc inuenias pœnitentiarios & concionatores nonnullos, qui non aliud se re inculcant peccatoribus, quam vt omnem suam fiduciam in diuina collocent bonitate atq; clementia, quod

DE TRIBVS PARTIBVS

quod ea semper paratissima sit omnibus peccata cōdonare, modo ipsi parati sint resipiscere: at vero de diuina iustitia, de Deo reconciliando per vehementē animi contritionem, de subeunda condigna pro cōmissis poenitētia, vix vllam faciunt mentionē, atq; hinc fit vt multi miserē decipiantur, & minus sibi studeant cauere à perpetrandis malis, dum palam audiunt tanta facilitate peccata passim laxari. Quin etiam eiusmodi concionatores & confessarij hodie maxime quæruntur, & vulgo etiā hoc nomine cōmendantur, quod doctores & patres sint p̄ij & consolatori; sed metuendum ne eiusmodi p̄ij patres peccatores ipsos corrūpant verius quā corrigant: quemadmodum medici & chirurgi officere consueuerunt laborantibus, dum in curandis morbis aut vulneribus plus satis volunt esse humani. Sed seuerasunt quæ de his doctoribus pronunciat dominus per prophetā Ezechielē, adserens eos deceptores esse sui populi, q̄ dicūt pax, quum non sit pax. Comparat autē eos litoribus absq; temperamento linentibus, quorū litura ferre non potest iniurias hymbrium. Nam quemadmodum hi linunt absque commistione straminis aut sceni, ita illi diuinam semper replicant bonitatem & indulgentiā,

Eze. 13. b.

Ibidem,

indulgentiam, nulla facta de diuina iustitia mentione: & continuo mortalibus inculcantes fiduciam & amorem, vix vnquã quicquam suggerunt de timore, & de angustia illa viæ quæ ducit ad vitam. Vnde etiã Dominus per eundem prophetam ita eis comminatur. Væ inquit qui cõsuunt pul-  
illos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiẽdas animas. Quibus verbis in eos inuehitur doctores & confessarios, qui omneis passim consolantur citra omnem iustã correctionem: qui docent fidendum in Domino absq; vllò timore, qui contritionem exigunt sine satisfactione: qui omnia omnium hominum peccata cruci imponunt redemptoris, adserentes Christum eorum omniũ in se vnum ac solum omne recipere peccatum, qui suam in ipso collocant fiduciam: quod sanè ita non est, quum ipso doctore singuli baiulare debeamus crucem nostram post ipsum, atq; adeo quantum vires & merita suppetunt, q; ex nostris debemus cõmissis exoluere debeamus vna cū ipso. Quod vbi pro nostrarum præstiterimus quantitate virium, quod nostræ deerit cruci & pænitiæ, sua ipse cruce suisque meritis non dedignabitur abundè supplere.

Neq;

DE TRIBVS PARTIBVS

Neque enim tales sumus, qui vnquam illi  
solis nostris meritis possemus esse accepti.

De formidabili pœna ignis purgatorii, & vnde eadē  
consueuerit augmentari. Cap. 25.

**P**œnitentiæ satisfactionē passim nos  
docent veterum scriptorum & sancto-  
rum omnium tum verba tum gesta: sicuti  
apertè cernere licet in ipsorum historijs. Le-  
gimus enim in vita venerandæ illius pecca-  
tricis Mariæ Aegyptiacæ, atq; item in alijs  
permultis sanctorum historijs, quemadmo-  
dum sua peccata castigarint atq; emenda-  
rint magna quadam & proluxa vitæ auste-  
ritate: re ipsa declarantes, quam sibi de suis  
peccatis displicuerint. Supra quoq; memi-  
nimus, quemadmodum olim pro vno quo-  
piam peccato lætali pœnitentia indiceba-  
tur totum vnum continuanda septennium,  
& nonnunquam etiam eo amplius. Quip-  
pe quo status delinquētis erat altior, eo pœ-  
nitentia erat proluxior. Sacerdos enim in  
impudicitiam lapsus pro suo expiando cō-  
misso pœnitentiam subibat totum duratu-  
ram decannium. Pontifex vero non nisi an-  
nis decem & quinq; pœnitentiam suam ab-  
soluebat. Itaq; nemo sibi imponat, neque e-  
nim minor est hodie diuina iustitia quā fue-  
rit olim. Quod hic non exigitur à sacerdo-  
te, aut

re, aut non pensatur a confitente, metuendū  
 valde ne supplicio crudelissimo sit tandem  
 pensandum in igne purgatorio. Atqui tan-  
 ta est quorundam impietas, vt opus habe-  
 rent vel totam suam vitam in poenitentia  
 exigere: atq; adeo ad monasticum sese insi-  
 tutum transferre. Tali enim poena nonnulli  
 olim mulctabantur. Scilicet in monasteriū  
 sese aliquod abdere iuebantur, aut militiae  
 destinabantur contra hostes christianæ reli-  
 gionis, catholicam propugnaturi fidē, aut  
 sanctam defensuri terram, idque certo tem-  
 poris spatio, aut etiam totius tempore vi-  
 tæ. Præterea de populo illo Israelitico legi-  
 mus, postea quam è terra educti Aegyptio  
 rum terræ appropinquassent repromissæ,  
 quomodo Moses duodecim designarit ex-  
 ploratores ad lustrandam terram, quod &  
 fecerunt peragrantes vniuersam illam regi-  
 onem spatio quadraginta dierum. Regres-  
 si autem exterruerunt populum, detraxe-  
 runtq; terræ quam inspexerant apud filios  
 Israel, ita vt murmurarit omnis turba con-  
 tra Dominum, & vociferati sunt aduersus  
 Dei seruos Moſen & Aaron cuncti filij Is-  
 rael dicentes. Vtinā mortui essemus in Aea-  
 gypto, & non in hac vasta solitudine. Vti-  
 nam pereamus, & non inducat nos Domi-  
 nus in

Num. 13. b.

Ibidem. c.

Ibid. 14. a.

DE TRIBVS PARTIBVS

nus in terram istā, ne cadamus gladio &c.

Quorum ingratiſſimū murmur non ferens diuina iustitia, mox illos pestilētia erat percussura & prorsus cōsumptura, nisi Moses interuentu suo diuinum mitigās furorē veniā illis impetrasset. Nam dimisi inquebat

*Ibidem. d.* Dominus ad Moſen, iuxta verbū tuū. Interim tamen pœnitentiā illis indixit, vt tot agerent annos in deserto, p̄hibiti ab ingressu terræ sanctæ, quot fuerat terra ipsa explorata diebus. Quadraginta itaq; annis in horrida illa solitudine remorati sunt: & p̄ singulis diebus singuli illis in pœnitentiā designati sunt anni. Annus inquebat p̄ die

*Ibidem. f.* imputabit: & quadraginta annis recipietis iniq̄tates vestras, & scietis vltionē meā. Super quo Origenes.

*Ori. ho. in Num. 8.*

Video inquit quod peccatorū in hoc ratio cōprehenditur & pœnā rū. Si enim vniciq; peccatori annus adscribitur ad pœnā pro vnus diei peccato: & secundū rationē dierū q̄bus peccatur, annorū totidē numerus in supplicijs cōfirmēdus est, vereor ne forte nobis, q̄ cotidie peccamus, & nullum forte vitæ nostræ diē absq; peccato trāſigimus, ne ipsa forte secula aut etiā secula seculorū sufficere possint ad pœnas luēdas. In eo. n. q̄ populus ille p̄ quadraginta dierū delicto quadraginta annis cruciatur in

tiam in deserto, nec terram sanctam introire per-  
 mittit, similitudo quaedam futuri iudicii vide-  
 tur ostendi ubi peccatorum ratio discutienda  
 est. Oigit nemo preciosi temporis huius oppor-  
 tunitatem ad verum poenitentium indulgentiam, frustra *Hactenus ille*  
 sibi patiam excidere, nemo peccata sua hic  
 praetermittat castigare, ita se cum reputas: si  
 mis tradar purgatoris licet, sum illinc tandem  
 aliquando eruendus. Certum quisquis purga- *Aug.*  
 torium petit, nescit, plane quid petat. Nam  
 de hoc ita beatus loquitur Augustinus. Hic *Aug. de ver.*  
 inquit ignis & si aeternus non sit, mirum ta- *& fal. pe. c.*  
 men modo est grauis, excessit enim omnem *18.*  
 poenam, quam unquam passus est alius in  
 hac vita. De hoc etiam purgatorio horren- *Vide Prom*  
 da extant exempla, in quibus magna ipsius *ptuarii ex*  
 nobis ostenditur acerbitas merito omnibus *emp.*  
 formidanda. De quo vir quidam sanctus *Discipuli.*  
 vitam agens supra modum austeram testa-  
 tus est, potius se toleraturum in hoc mundo  
 ignei alicuius lacu incendium, usque ad diem  
 extremi iudicii, quam poenas gehennae aut  
 purgatoris. Legitur & de alio quodam, quod  
 quum e viuis sublatus poenas illas expur-  
 gatorias fuisset contemplantus, & rursus esset  
 reuocatus ad vitam, tantam subierit vitae austeri-  
 tatem, ut media bruma aquas ingredi solitus  
 sit, & in ipsis tantisper hærere, donec vestes  
 gelu



DE TRIBVS PARTIBVS

gelu adglutinarentur ipsius corpori, atque  
 ita balnei se tradebat caloribus. Hic quum  
 interrogaretur quur nam id faceret, ita cui-  
 dam respondit. Si tu id vidisses quod ego,  
 aut eadem faceres, aut his etiam maiora. Si  
 mile responsum dedisse scribuntur tres illi  
 mortui sacco beati Hieronymi à mortuis  
 excitati. Quum enim interrogarentur à Cy-  
 rillo, quur nam ita illachrymarentur, respō-  
 derunt. Ob immanissima quædam suppli-  
 cia, quæ ex diuinæ iustitiæ æquitate parata  
 vidimus omnibus peccatoribus. Quisquis  
 enim vel semel ea fuerit intuitus, citius op-  
 taret tantum ferre cruciatum solus, quam  
 omnes ferre poterant mortales ab Adā, ad  
 hanc vsq; horam, quam vel diem vnum ex-  
 periri minimam aliquam pœnam siue gehē-  
 næ siue purgatorij. Proinde ò filij hominum  
 Psal. 4. vsquequo graui corde, vt quid diligitis va-  
 nitatem, & quæritis mendacium? Vestro  
 cum animo reputate ò mortales, quam sit  
 vanum, quam fluxum, imo quam nihil sit,  
 quicquid hic mundus adferre videtur volu-  
 ptatis: & rursus quam imania sint, quæ vos  
 manent pro modica aliqua voluptate tor-  
 menta. Quum quidam (vt alibi scriptū est)  
 in pœnis purgatorijs vnicum exegisset mē-  
 sem, in eisdem sibi visus est annos exegisse  
 plus

plus viginti. O nos infelices. Quid tandem  
 sumus acturi. Toti vndiq; mademus vitis,  
 bibentes vt ait quidam, iniquitatem, non  
 secus atq; aquam, & quum lætanter atq; in-  
 contentanter in multa cotidie ruamus vitia, ne  
 semel quidem serio subit animum, quã in-  
 tollerabileis tandem daturi simus pœnas,  
 etiam pro commissis leuioribus: quorum  
 ingentem nobis vim coaceruamus, dum ea  
 nihili ducentes cotidie delinquimus. O quã  
 exacta à nobis exigetur pensatio omnium  
 leuitatum, vanitatum, sermonum, operum,  
 cogitatuũ, & indomitorum affectuum: Cu-  
 ius rei veritatẽ inter multa prodigiosa huc  
 spectantia exempla, vel ipsa Cosmã & Da-  
 miani soror comprobare potest: quæ in  
 ignæ purgatorio quindecim diebus pœnas  
 dedisse scribitur, quod semel cum volupta-  
 te aspectarit quosdam in plateis tripudian-  
 tes atq; cantillantes. Quinimo & de san-  
 ctis quibusdam, qui mox post excessum ab  
 hac vita miraculis claruerũt legimus, quod  
 ad tẽpus in purgatorio remorati sunt: quẽ  
 admodum beatus scribit Gregorius de  
 Paschasio quodam, viro sane magnæ tum  
 eruditionis tum sanctimonix: & quemad-  
 modum de beato legimus Seuerino, quod  
 hoc eodem igne multatus sit, propterea qd  
 O precum

Pro. 26. 2.

Autor ipsũ

Iob allegat

apud quem

non repea

tio.

Gre. li. dialo

4. ca. 29.

DE TRIBVS PARTIVS.

precum horariarū pensum sæ penumero ab  
soluisset magna cū animi distractione. Au-  
get autem hunc cruciatum in primis & præ  
omnibus gloriæ illius cælestis & beatæ vi-  
sionis ac fruitionis dilatio, propterea quod  
animæ in purgatorio remoratę maximo ad  
eam desiderio anhelent, vna cum Dauide di-  
centes. Quemadmodum desiderat ceruus  
ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea  
ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deū fon-  
tem viuum: quando veniam & apparebo  
ante faciem Dei? Facit quoq; ad cumulum  
poenæ dura dæmonū exprobratio, qui ani-  
mas sic deslitutus nunquā cessant laceßere  
improperijs. Ipsarum enim personam præ-  
ferebat David quum diceret. Fuerunt mihi  
lachrymæ meę panes die ac nocte, dum di-  
citur mihi cotidie, Vbi est Deus tuus? Atq;  
item Christus quum cruci affixus à Iudæis  
audiret, Confidit in Deo: liberet eum nunc  
si vult: dixit enim quia Filius Dei sum. Au-  
get insuper eandem hanc afflictionem pro-  
pinq;uorum in hoc mundo relictorum infi-  
delitas: dum videlicet defunctorum imme-  
mores, non ipsis student per se aut per alios  
præcibus eleemosynis alijsue operibus sa-  
tisfactorijs opitulari. Quamobrem eiusmodi  
di animæ

Psalm. 41.

Germana  
scriptura  
habet for-  
tem.

Psalm. 41.

Math. 27. e.

di animæ sic solatio destitutæ ita cum Iob  
inclamant & ingeminant dicentes. Misere-  
mini mei: miseremini mei, saltem vos ami-  
ci mei: quia manus Domini tetigit me.

Iob. 19. c.

Nonnullis præterea cruciatus ille purgato-  
rius augetur dum se cernunt obliuioni tra-  
di à suis hæredibus aut amicis, maxime  
quibus amplas pararunt ac reliquerunt di-  
uitias: quarum occasione interdum circa  
propriam salutem & diuinum obsequium  
fuerunt negligentiores: dū videlicet inimy-  
ci essent in solitudine ditandorū & efferen-  
dorum heredum, quemadmodum in mun-  
do multos inuenire licet, qui quo liberos  
suos multis cumulent diuitijs, tantis in sua  
vita inuoluuntur curarum implicamentis,  
vt hinc non pauca pia opera prætermi-  
tant, atque adeo multa etiam cotidianarum  
offensarum debita contrahant, quæ  
omnia exactè tandem coguntur depende-  
re. Adde quod liberi interdum bonis à pa-  
rentibus sibi relictis abutantur: atque hinc  
plerunque occasionem sibi sumant mul-  
torum maleficiorum, quæ fortasse haud-  
quaquam committerent, si tantis nõ essent,  
cumulati facultatibus, aut si ipsi sibi eas  
suis parassent sudoribus: quod ipsum

Oij parentum

DE TRIBVS PARTIBVS.

parentum poenam haud mediocriter nosci-  
tur aggrauare. Inidem dici potest de nonul-  
lis monasticam vitam professis: qui inter-  
dum quo sua monasteria amplis lucupletent  
possessionibus atq; obuentionibus, varijs or-  
nent structuris, aut preciosis excolant eccle-  
siastici cultus ornamentis, adeo se curis ob-  
ruunt terrenis, vt propter eas minus curent  
suam ipsorum salutem: studium pietatis no-  
raro illis posthabeant, & negligent: profes-  
sioni sui instituti minus respondeant. Qui  
indem magnam etiamnum suis posteris pre-  
bent occasionem dictis bonis propter nimi-  
am ipsorum copiam abutendi, eoq; & syn-  
ceritatem professionis suae violandi: sicuti  
fere videmus monasteria vltra modum di-  
tata raro diu in verae disciplinae puritate co-  
sistere: cuius certe mali eiusmodi cogentur  
praelati reddere rationem.

Quibus maximè rebus possit quis pro peccatis satisfacere  
Cap. 26.

**I**am quoniam multa de peccatorum sa-  
tisfactione diximus, quæri hic posset,  
quibus nam rationibus, quibusque rebus  
maxime possit quis satisfacere. Hic ergo  
sciendum omnia pia opera in statu gratiae  
exhibita,

exhibita, huic esse rei præstandæ accommo-  
 da, sicuti supra indicauimus: quanquam in-  
 terim alia alijs sint accommodatiora. Pro-  
 diuersa enim mortalium conditione, alijs  
 his, alijs alijs sunt operibus seu bonis præstā-  
 dis idonei, aut etiam alijs magis obstricti.  
 Hic parum ardet pio erga Deum affectu,  
 & in precibus tepidus est: ille imbecillo  
 corpusculo est, & parum patiens laborum  
 & abstinentiarum: verum quia idem ma-  
 gnis est à Deo donatus diuitijs, eoq; ad ele-  
 mosynas faciendas idoneus, ideo huic se-  
 exercitio maxime debet accommodare,  
 idem secum animo voluens ac meditans,  
 quod ini quus ille dispensator: qui vt histo-  
 ria tradit euāgelica profusorem egerat bo-  
 norum domini sui. Hic enim rationem red-  
 dere iussus delegatæ sibi functionis, ita suo  
 cum animo consultans dicebat. Quid fa-  
 ciam? quia dominus aufert à me villicatio-  
 nem. Fodere non valeo: mendicare eru-  
 besco. Tandem commodo adiuuento con-  
 silio de conciliandis sibi amicis per benefi-  
 centiam: Scio inquiebat quid faciam, vt  
 quum amotus fuero à villicatione recipi-  
 ant me in domos suas et cætera. Docen-  
 tur enim hac parabola peccatores omnes,  
 qui Dei sunt debitores, maxime si idonei

ibidem.

O iij non

DE TRIBVS PARTIBVS

Eccle. 3, d.

Tob. 4, b:

non sint dignè offerendis. Domino præcibus, ac subeundis corporis castigatio-  
nibus, vt crimina sua abolere studeant  
per opera misericordiæ. Sic enim alibi legi-  
mus in arcana scriptura. Ignem ardentem  
extinguit aqua, & eleemosyna resistit pec-  
catis: & Deus prospector est eius qui red-  
dit gratiam, &cæt. Vnde venerandus ille  
senex Tobias ita filium suum scribitur eru-  
diuisse. Fili inquit ex substantia tua fac ele-  
emosynam: & noli auertere faciem tuam  
ab vlllo paupere: ita enim fiet vt nec à te  
auertatur facies Domini. Si multum tibi  
fuerit abundanter tribue: si exiguū tibi fue-  
rit etiam exiguum libèter impertire stude.  
Premium enim bonum tibi thesaurizas in  
die necessitatis: quoniā eleemosyna ab om-  
ni peccato & à morte liberat: & non patie-  
tur animam ire in tenebras, &cæt. Quam-  
obrem inexcusabiles sunt omnes diuites,  
quotquot non student per benignitatis ope-  
ra pro suis commissis (quibus plerunq; ma-  
gis grauantur quam tenuiores) satisfacere.  
Nam vt demus nonnullos excusare se pos-  
se quòd impares sint grauioribus subeun-  
dis pœnitentiæ laboribus, aut digne fundē-  
dis Domino precibus, quippe qui talibus  
præstandis se cernant inhabileis: nihil tamē  
obstat

obstat quo minus vacare possint operibus pietatis, quum in hoc amplis sint à Deo ditati mundi huius bonis: quorum ipsi constituti sunt dispensatores, ut ea utiliter in subleuandis suis & proximorum (quibus talis fors non obtigit) necessitatibus dispensent. Varia Deus prouidit mortalibus media, quibus & suas offensas pensare, & coeleste possint promereri regnum. Tenuioribus afflictio & egestatis tolerantia data est: ditioribus beneficentia imposita est: spiritualibus preces ieiunia ceteraque opera misericordiae congruunt, quibus fere accommodatiores sunt religiosi, quam communi uiuentes vita seculari.

Sunt autem huiusmodi opera misericordiae varia: quae sunt consulere imprudentes: instruere rudes: redarguere delinquentes, condonare offensas, solari moestos, patienter tolerare imperfectiones proximorum, omnibus intercedere apud Deum. Peculiariter autem singulare quoddam misericordie opus est, praesidio praecationum, peregrinationum, ieiuniorum, aut aliorum id genus officiorum subleuare miseras fidelium animas in purgatorio agentes. Nec mediocre est bonum intacto animo perferre damna,

O iij probra

Ver. Confu  
le castq, de  
ce, solare,  
remitte,  
ter, ora.



## DE TRIBVS PARTIBVS

probra, afflictiones, cæteraque quæ Deus  
 nobis immittit incommoda, quod hæc sint  
 nobis veluti quædam antidota solutiones  
 & cataplasmata quibus medeamur animæ  
 nostræ morbis, & peccatorum nostrorum  
 vulneribus. Quare quoties nos contingit  
 in præsentī hoc seculo affligi, id dicamus  
 Aug. quod beatus dixit Augustinus. Hic vre ò  
 Domine hic te ca, vt in æternum parcas.  
 Prudentem te hic mihi medicum exhibe, re  
 media adhibe prout meæ noueris expedi  
 re salutē: molesta sint, licet: nihil est quod  
 hic ferre recusem, modo olim possim esse  
 tutus, & sanitatem consequar animæ per  
 hennem. Orabimus etiam optimum Domi  
 num, vt tali hic nos dignetur gratia, qua  
 possimus in hac vita plenè offensas nostras  
 compensare. Et quanquam alijs alia cōgrua  
 ant, & huic magis deprecatio seruiat, illi ie  
 iunium, isti vero elemosyna, omnibus ta  
 men modis quisque conari, & nihil non fa  
 cere debet, quo Deo possit gratificari, &  
 delictorum debita exoluere. Potissimum  
 tamen in ijs se virtutibus exercere quisq; de  
 bet, quæ vitijs ab ipso perpetratis sunt con  
 traria. Veluti qui per crapulam, libidinem  
 aut alias voluptates carnis Deū contēpsit,  
 hic è diuerso tantum debet carnem suā per  
 ieiunium,

ieiunium, sobrietatem, & simileis molestias affligere, quantum se eidem meminit malè indulgisse. Qui per avaritiam aut iniustitiã peccavit, potissimum debet per eleemosynas pensare. Qui per superbiam, iracundiã, odium, aut invidentiam peccavit, maxime debet per humilitatem & patientem iniuriarum probrorum, & iniustorum damnorum tolerantia, satisfacere: secum reputans id esse æquitatis & rationis, vt id sibi fieri sustineat ab alio, quod contra æquitatẽ aliq fecerit ipse. Docet nos hæc ipsa quorquot sunt vel fuere homines probatae sanctimonie, docet nos ipsa natura quemadmodum singuli quiq; peccatorũ morbi curari propriè habeant per antidota virtutũ ipsis vitis contraria. Proinde nemo omnino vllis parcat laboribus, sed ad impetrandã perfectam admissorum nostrorum indulgentiã per omneis contendamus vias ac modos, per suspiria, per lachrymas, per nostri humiliationem ante conspectum diuinæ maiestatis, aduersus quam tantum superbimus, per verum mundi huius cõtemptum, cuius blandicijs illecti tã multifariã cõmissimus, dolentes atq; inhorrescentes, nõ modo propter facinora nostra retriora, verũ etiã propter cotidianos quarũlibet offensarum nauos.

nauos.

DE TRIBVS PARTIBVS  
nauos. Sed neq; parcamus ignaui huic cor-  
poris nostri asino, qui nobis iam dudum tā-  
tam attulit prauis suis concupiscentijs per-  
nitiam. Quin potius ne tandem & se simul  
& animā pertrahat in gehennā, castigemus  
ipsum cohibeamus & crucifigamus: crucifi-  
gamus inquā tāquam reum mortis. Satius  
est hic eū vapulare, quā tandē vna cum ani-  
ma in perpetuam precipitari damnationē.  
O quā splendidos nobis fructus parare-  
mus si illum totum animæ nostræ subige-  
remus obsequio. Quam certam conseque-  
remur admissorum veniam, quam haud du-  
biè nunquam sumus cōsequuturi, donec be-  
nedicto Domino nostro tantam rependa-  
mus dilectionem, quantā eidem attulimus  
iniuriam. Nemo insuper sibi vnquam per-  
suadeat absolutam se peregrisse pœnitentiā  
quamlibet etiam ritè peracta confessione,  
& absoluta satisfactione, nisi prouitatem  
illam peccandi in se deprehendat eneruatā,  
& robur quod iam animi sit consequutus  
quo crimina omnia declinet & euincat: ad  
hæc nisi conscientiam sentiat iam per syn-  
ceram erga Dominum fiduciam, esse tran-  
quillam: deniq; & dulcorem quendam ex-  
periatum diuinæ dilectionis, dum se per pi-  
os cogitatus ac preces conuertit ad Domi-  
num.

num. Tunc enim certo sperare ac fidere potest plenè sese cum Deo rediisse in gratiã, si post multas tandem implorationes & sollicitudines eam consequutus est gratiã, qua vitiorum omnium ex animo pertesus superiorè vitam impiè transactam puritate castigat vitæ incontaminatæ. Alias confidere super multa Dei bonitate & clementia, absque vlla correctione impiæ vitæ, spes est vana & fiducia fallax. Nã sicuti sanctus testatur Bernardus, quantum quis crescit in gratia, Bernar. tantum in ipso augetur erga Deum fiducia. Signum autè quod gratia adsit homini, est, si cessat à peccatis, & bonis vacat operibus.

## PRECATIO.

**O** Vitæ meæ potentissime dominator Deus, quum nullum non cupias tibi esse placatum, non unum sed mille nobis reliquisti tibi placendi modos. Sed heu quid dicam, ô Domine Deus, dum me ad omnia segnè inertè atq; ineptum experior, quum tamè tam fuerim celer impiger & ingeniosus ad ea exequenda, quæ tuam istam tantæ maiestatis celsitudinem offenderent? Quo tandem vultu, qua fronte te meum audebo appellare patrè, aut tuum implorare auxiliũ, qui post tot offensas & flagitia nullo inardesco desiderio tecum redeundi in amicitiam uitamq; placèdis? Agnosco plane nullum omnino esse patrè terrenum, qui cum adamaret

adamaret